


# DE CONTROVERSIIS PASCHALIBUS

## SECUNDO P. CHR. N. SAECULO EXORTIS

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

SUMME VENERANDI THEOLOGORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN ACADEMIA LIPSIENSI

AD IMPETRANDAM VENIAM LEGENDI

ILLUSTRISSIMI JCTORUM ORDINIS CONCESSU

DIE XXVI M. JULII A. MDCCCLXIX HORA X

IN AUDITORIO JURIDICO

PUBLICE DEFENDET

**AEMILIUS SCHUERER**

THEOL. LIC. PHIL. DR.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. LORENTZ BIBLIOPOLAM

MDCCCLXIX

TYPIS EXSCRIPSERUNT METZGER & WITTIG

# Index.

1. Virorum doctorum de controversiis paschalibus sententiae enarrantur . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . p. 1— 6.

2. Vocabuli πάσχα notio explicatur . . . . . . . . . . . . p. 7—10.

3. Ecclesiae Asianae quomodo secundum Eusebium diem quartum decimum celebraverint quaeritur . . . . . . . . . . . p. 10—21.

4. Quartodecimani in fragmentis chronici paschalis impugnati quam secuti sint consuetudinem investigatur . . . . . . . . . p. 21—34.

5. Hos ab illis diversos non fuisse demonstratur . . . . . . . p. 34—47.

6. Weitzelii et Steitzii sententia refutatur . . . . . . . . . p. 47—59.

7. Et orientalium et occidentalium consuetudinis causa et natura accuratius exponitur . . . . . . . . . . . . . . . . p. 59—71.

8. Controversiarum historia breviter adumbratur . . . . . . . p. 71—73.

9. Orientalium ecclesiarum ritum evangelii Joannei authentiae minime obesse demonstratur . . . . . . . . . . . . . . p. 73—75.

De controversiis paschalibus, quae secundo saeculo exeunte totam fere ecclesiam diu movebant, doctissimorum virorum opiniones ad hodiernum usque diem in diversas discedunt partes. Disceptatur autem inter eos non tam de occidentalium quam de orientalium ecclesiarum ritu paschali; atque hoc potissimum quaeritur, quo modo et qua de causa hae ecclesiae pascha celebraverint. Quae res cum per se sit obscura et perdifficilis, nostris diebus multo etiam majorem accepit difficultatem, cum haec de orientalium ritu paschali quaestio conjungeretur cum quaestione de Joannei evangelii authentia, ita ut de illa vix jam possit disputari, quin hujus habeatur ratio. Neque fieri potuit, quin eadem illa re multo major quam antea efficeretur sententiarum diversitas; quarum quae vera sit ut discernamus, ante omnia breviter est exponendum, quaenam omnino de illa re viri docti statuerint.

1. A Moshemii[1] quidem temporibus usque ad Neandrum[2] et Rettbergium[3] omnes fere judicabant, orientis vel potius Asiae

---

[1] De rebus christianorum ante Constantinum M. commentarii (1753), p. 435 sqq.

[2] *Erläuterungen über d. Veranlassung u. d. Beschaffenheit der ältesten Passahstreitigkeiten in der christl. Kirche*, in: *Kirchenhistor. Archiv v.* Staeudlin, Tzschirner *u.* Vater, 1823, fasc. 2, p. 90—100. — *Allgemeine Geschichte der christlichen Religion u. Kirche*, I, 2 (1828), p. 341—346.

[3] *Der Paschastreit d. alten Kirche*, in: *Zeitschr. f. histor. Theol.* II, 2 (1832), p. 91—126.

minoris ecclesias quartum decimum primi mensis diem sollemniter celebrasse, quia hujus diei celebratio veteris testamenti lege praescripta esset et quia ipse Dominus noster e vita exiturus hoc die cum discipulis coenam instituisset. Hoc autem BRETSCHNEIDERO[1] idoneum visum est, unde argumentum sumeret contra Joannei evangelii authentiam. Si enim, inquit, Asianae ecclesiae quartum decimum diem in memoriam ultimae Jesu Christi coenae hoc die paratae celebraverunt, atque si hunc ritum, id quod in Polycratis epistola[2] legimus, a Joanne apostolo acceperunt, hic nullo modo auctor esse potest quarti evangelii, quippe quod tertio decimo die hanc coenam peractam esse diserte narret. Quod BRETSCHNEIDERI argumentum acceperunt et confirmaverunt SCHWEGLER[3], BAUR[4], ZELLER[5], HILGENFELD[6], NOACK[7], WALLON[8], SCHENKEL[9],

---

[1] Probabilia de evangelii et epistolarum Joannis, Apostoli, indole et origine (1820), p. 109 sq.

[2] Euseb. H. E. V, 24.

[3] *Der Montanismus* (1841), p. 191—204. — *Das nachapostolische Zeitalter* (1846), II, 210—212. 352 sq.

[4] *Theol. Jahrbb.* 1844, p. 638—659. — *Kritische Untersuchungen über d. kanon. Evv.* (1847), p. 334—345. — *Theol. Jahrbb.* 1847, p. 120—133. — 1848, p. 264—286. — 1857, p. 242—257. — *Zeitschr. f. wissenschaftl. Theol.* 1858, p. 298—312. — *Das Christenth. u. d. christl. K. der drei ersten Jahrhh.* ed. 2. (1860), p. 156—169.

[5] *Theol. Jahrbb.* 1845, p. 638—640.

[6] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 209—281. — *Galaterbrief* (1852), p. 78—96. — *Evangelien* (1854), p. 341 sq. 344 sq. — *Urchristenthum* (1855), p. 43—47. — *Theol. Jahrbb.* 1857, p. 523—532. — *Zeitschr.* 1858, p. 151—156. — *Der Paschastreit der alten Kirche* (1860). — *Zeitschr.* 1861, p. 106—110. 285—318. — *Kanon u. Kritik* (1863), p. 219—226. — *Zeitschr.* 1867, p. 187—197.

[7] *Biblische Theologie* (1853), p. 378.

[8] *Twee schrijvers over den Paschastrijd*, in: *Godgeleerde bijdragen voor* 1861, fasc. 1, p. 45—84.

[9] *Charakterbild Jesu* ed. 1. (1864), p. 357—361.

Strauss[1], Scholten[2], Volkmar[3], Matthes[4], Tayler[5], Davidson[6].

2. Qua ratione cum controversiae paschalis historia Joanneo evangelio videretur periculum inferre, non deerant, qui id depellere conarentur. Vario autem modo hoc factum est. Alii enim cum theologis illis de ritus paschalis quidem historia consentiebant, negabant autem, ex ea quidquam contra Joannei evangelii authentiam colligi posse, quippe quod ipsum quoque pariter atque synoptica evangelia quarto decimo die Dominum cum discipulis coenasse referret. Hanc sententiam Hengstenbergio[7] duce imprimis tuebantur Wieseler[8], Hofmann[9], Lichtenstein[10], Tholuck[11], Langen[12], Riggenbach[13] — quem huc refero, quamquam non prorsus eandem quam ceteri secutus

---

[1] *Leben Jesu* (1864), p. 76 sq.

[2] *Het evangelie naar Johannes* (1864), p. 15—17. 411—421. — *Die ältesten Zeugnisse, betr. die Schriften des Neuen Testamentes* (1867), p. 105—107. 139—142.

[3] *Der Ursprung unserer Evv.* (1866), p. 31 sq. 56 sq.

[4] *De ouderdom van het Johannesevangelie volgens de uitwendige getuigenissen* (1867), p. 119—122.

[5] *An attempt to ascertain the character of the fourth gospel* (1867), p. 99—123.

[6] *An introduction to the study of the New Testament* (2 voll. 1868), II, 403—421.

[7] *Zu dem Streite über das letzte Mahl des Herrn*, in: *Evangelische Kirchenzeitung*, 1838, 99, p. 785 sq.

[8] *Chronologische Synopse* (1843), p. 368—376. — Reuter's *Repertorium*, vol. 64 (1849), p. 113—132. — Herzog, *Real-Enc.*, XXI (1866), p. 551 sq. — *Beiträge zur richtigen Würdigung d. Evv.* (1869), p. 268—272.

[9] *Zur neutestamentlichen Geschichte. Des Herrn Todestag*, in: *Zeitschr. f. Prot. u. K., Neue Folge*, t. XXVI (1853), p. 270—272.

[10] *Lebensgeschichte des Herrn Jesu Christi* (1856), p. 364—367.

[11] *Commentar zum Ev. Joh.* ed. 7. (1857), p. 38 sqq.

[12] *Die letzten Lebenstage Jesu* (1864), p. 61—71. 140—146. — *Grundriss der Einleitung in das N. T.* (1868), p. 72 sq.

[13] *Die Zeugnisse für d. Ev. Joh.* (1866), p. 50—76.

est sententiam —, denique OOSTERZEE[1] et EBRARD, qui cum antea hanc opinionem defendisset[2], tum, quod infra videbimus, reliquisset, nuperrime ad eam rediit[3].

3. Alii, harmonisticam illam ut ita dicam evangeliorum interpretationem rejicientes, tamen Asianorum ritum paschalem Joannei evangelii authentiae ideo minime obesse putabant, quia ecclesiae illae diem paschalem constituentes omnino non historiam evangelicam sed veteris tantum testamenti legem respexissent. Hanc dederunt sententiam quamvis vario modo inter sese dissentientes post LUECKIUM[4] et GIESELERUM[5] imprimis BLEEK[6], DE WETTE[7], HASE[8], VAN LEEUWEN[9].

4. Plurimi autem nostris diebus prorsus alio modo quaestionem illam solvere conati sunt. Tantum enim affirmabant abesse, ut orientalium ritus paschalis quarti evangelii auctoritati periculum inferret, ut ejus originem apostolicam probaret confirmaretque. Neque enim in memoriam ultimae Jesu Christi coenae, sed in memoriam mortis ejus salutaris orientales ecclesias quartum decimum diem sollemniter celebrasse, ita ut eorum ritus optime consentiret cum Joanneo evangelio ad eundem diem Domini

---

[1] *Das Johannesevangelium* (1867), p. 62 sq.

[2] *Das Ev. Johannis* (1845), p. 114—137.

[3] *Wissenschaftliche Kritik der evangelischen Geschichte*, ed. 3. (1868), p. 1176—1219.

[4] *Commentar über d. Ev. Joh.* ed. 3. I (1840), p. 110—113.

[5] *Lehrbuch der Kirchengesch.* ed. 4. I, 1 (1844), p. 240—243. 292 sq.

[6] *Beiträge zur Evangelien-Kritik* (1846), p. 38 sq. 156—166. — *Einleitung in d. N. T.* (1862), p. 187—194.

[7] *Einleitung in's N. T.* ed. 5. (1848), p. 209 sq.

[8] *Die Tübinger Schule* (1855), p. 43—47. — *Kirchengesch.* ed. 9. (1867), p. 103 sq.

[9] De sacris paschalibus in ecclesia christiana, saeculo primo et secundo, Tielae, 1860.

nostri passionem referente. Quod cum jam USTERIO[1] posteaque NEANDRO[2] et DORNERO[3] placuisset, imprimis WEITZEL[4], SCHOLTEN[5], RÉVILLE[6], STEITZ[7], ABT[8] idem probare conati sunt, quibus assensi sunt EBRARD[9], JACOBI[10], FRICKE[11], NIERMEYER[12], EWALD[13], SCHNEIDER[14], MAYER[15], HEFELE[16], SCHMID[17], LECHLER[18], RITSCHL[19],

---

[1] Commentatio critica in qua evangelium Joannis genuinum esse ostenditur (1823), p. 51—53.

[2] *Allgem. Gesch. der christl. Rel. u. K.* ed. 2. I (1842), p. 511—517. — *Leben Jesu*, ed. 5. (1852), p. 691 sq. not.

[3] *Entwickelungsgesch. der Lehre von d. Person Christi*, ed. 2. I (1845), p. 282 sq.

[4] *Die christliche Passafeier der drei ersten Jahrhunderte*, 1848. — cf. *Studien u. Kritiken*, 1848, p. 805—858.

[5] *De sterfdag van Jezus volgens het vierde evangelie en de Paschastrijd tusschen Klein-Azië en Rome*, in: *Godgeleerde bijdragen voor* 1856, fasc. 2, p. 97—127. Postea SCHOLTEN ad aliam sententiam transiit, de qua supra (p. 3, not. 2) vid.

[6] *Le quatrième évangile et la controverse pascale au second siècle*, in: *Revue de théologie*, Vol. XIII (1856), p. 1—34.

[7] *Studien u. Kritiken*, 1856, p. 721—809. 1857, p. 741—782. 1859, p. 716—740. — HERZOG, *Real-Enc.*, XI (1859), p. 149 sqq. — *Jahrbb. f. deutsche Theol.*, 1861, p. 102—141.

[8] *La controverse pascale et l'évangile de Saint Jean. Montauban*, 1860.

[9] *Wissenschaftliche Kritik*, ed. 2. (1850), p. 925—947. — *Handbuch der christl. Kirchen- u. Dogmen-Gesch.*, I (1865), p. 122 sq.

[10] *Lehrbuch d. K.-G.*, I (1850), p. 120—122.

[11] *Lehrbuch d. K.-G.*, I (1850), p. 268—273.

[12] *Verhandeling over de echtheid der Johanneische schriften* (1852), p. 372—381.

[13] *Jahrbücher der biblischen Wissenschaft*, V (1853), p. 203—206. VI (1854), p. 121—123.

[14] *Die Aechtheit des johanneischen Ev. nach den äusseren Zeugnissen* (1854), p. 42—60.

[15] *Die Aechtheit des Ev. nach Joh.* (1854), p. 384—429.

[16] *Conciliengeschichte*, I (1855), p. 286—303.

[17] *Lehrbuch der K.-G.*, ed. 2. (1856), p. 28 sq.

[18] *Das apostolische u. das nachapostol. Zeitalter*, ed. 2. (1857), p. 509—514. — cf. *Stud. u. Krit.*, 1856, p. 879—887.

[19] *Entstehung der altkathol. K.*, ed. 2. (1857), p. 122—124. 269 sq.

KURTZ[1], THIERSCH[2], KAHNIS[3], WEIZSAECKER[4], BRUECKNER[5], ZOECKLER[6], ROESCH[7], SCHAFF[8], MEYER[9], GODET[10]. — Haec igitur sententia nunc quidem a plurimis est recepta; neque tamen deerant, qui ei resisterent. Praeter eos enim, quos jam attulimus (vid. 1—3), etiam LIPSIUS[11], HASSE[12], NIEDNER[13] amplecti eam noluerunt. Alii, ut GUERICKE[14], REUSS[15], HOLTZMANN[16], rem in medio reliquerunt. CASPARI vero quid in libro nuperrime edito[17] sibi voluerit, quamvis operam darem, intelligere non potui.

Ita etiamnunc in diversas partes disceptatur. Quare operae pretium fore putavi, si denuo quaestionem instituerem, ut, si fieri potest, ad rem dijudicandam aliquantulum conferrem.

---

1 *Handbuch der allgem. K.-G.*, ed. 2. I, 1 (1858), p. 243—248.
2 *Die Kirche im apostol. Zeitalter*, ed. 2. (1858), p. 293 sq.
3 *Dogmatik*, I (1861), p. 417 sq.
4 *Jahrbb. f. deutsche Theol.*, 1862, p. 583 sq. — *Untersuchungen über d. ev. Gesch.* (1864), p. 295.
5 in: DE WETTE, *Erklärung des Ev. u. der Briefe Joh.*, ed. 5. (1863), p. XXXIV sqq.
6 HERZOG, *Real-Enc.*, XVII (1863), p. 178.
7 HERZOG, *Real-Enc.*, XVIII (1864), p. 473—475.
8 *Geschichte der alten Kirche* (1867), p. 315 sq.
9 *Ev. Joh.*, ed. 5. (1869), p. 21—25.
10 *Comm. zu d. Ev. Joh.* (1869), p. 596. 647—649.
11 *Literarisches Centralblatt*, 1860, 33, col. 513—515.
12 *Kirchengeschichte*, I, (1864), p. 89 sq.
13 *Lehrbuch der christl. K.-G.* (1866), p. 293 sq.
14 *Gesammtgesch. des N. T.*, ed. 2. (1854), p. 198 sq. — *Kirchengesch.*, ed. 9., I (1866), p. 128—130. — *Archäologie*, ed. 2. (1859), p. 152—157.
15 *Geschichte d. heiligen Schriften Neuen Testaments*, ed. 4. (1864), p. 224.
16 in: WEBER *u.* HOLTZMANN, *Gesch. d. Volkes Israel*, II (1867), p. 717 sq.
17 *Chronologisch-geographische Einleitung in d. Leben Jesu Christi* (1869), p. 179—186.

Priusquam ad ipsam controversiae paschalis historiam perscrutandam aggrediamur, opus est, ut in notionem vocabuli *πάσχα* accuratius inquiramus. Quomodo enim scriptores veteres de hac controversia referentes bene intelligemus, notionis, quam vocabulo illi tribuerint, ignari? — Vocabulum פֶּסַח apud veteris testamenti scriptores sensu strictiore significabat sollemne illud, quod quarto decimo primi mensis die quotannis celebrabatur in memoriam populi ab angelo perditore servati et ex Aegyptiorum servitute liberati. Nomen autem habebat, quia angelus Domini tum Israelitarum domos praeterierat (פָּסַח) eorumque primogenitis pepercerat (Exod. 12, 27). Hoc sollemne excipiebant septem qui dicebantur dies azymorum. Si igitur strictiorem vocabulorum significationem respicimus, bene distinguendum est inter illum diem paschalem et hosce azymorum. Ita legimus Lev. 23, 5 sq.: בַּחֹדֶשׁ הָרִאשׁוֹן בְּאַרְבָּעָה עָשָׂר לַחֹדֶשׁ בֵּין הָעַרְבָּיִם פֶּסַח לַיהוָֹה׃ וּבַחֲמִשָּׁה עָשָׂר יוֹם לַחֹדֶשׁ הַזֶּה חַג הַמַּצּוֹת לַיהוָֹה שִׁבְעַת יָמִים מַצּוֹת תֹּאכֵלוּ׃ Et in novo testamento, Marc. 14, 1: *Ἦν δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα μετὰ δύο ἡμέρας.* Itemque apud Josephum, Antt. III, 10, 5: *Πέμπτῃ δὲ καὶ δεκάτῃ διαδέχεται τὴν τοῦ πάσχα ἡ τῶν ἀζύμων ἑορτή, ἑπτὰ ἡμέρας οὖσα, καθ᾽ ἣν ἀζύμοις τρέφονται.* Et in chronico paschali, ed. Dindorf I, 427[1]: *Εἰκότως ἄρα ἐκείνην τὴν ἡμέραν μόνον πάσχα οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ προσηγόρευον, τὴν δὲ ιε´ καὶ τὰς μετὰ αὐτὴν ϛ´ ἡμέρας ἑορτὴν ἀζύμων.* — Paschalis autem diei ritus erat duplex. Primum quidem agnus immolabatur, tum autem hic agnus cum azymis (מַצּוֹת) et herbis amaris (מְרֹרִים) comedebatur (Exod. 12, 1 sqq.). Unde factum est, ut vocabulo *πάσχα* utrumque significaretur, et sacrificium (Marc. 14, 12. Luc. 22, 7) et coena (Matth. 26, 19 = Marc. 14, 16 = Luc. 22, 13: *καὶ ἡτοίμασαν τὸ πάσχα*). Coena enim erat hoc *πάσχα*,

---

[1] vid. Hilgenfeld, *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 255.

quod discipuli l. l. paravisse dicuntur[1]. Cum igitur hoc vocabulum e vetere in novum testamentum transierit et ad res institutionesque novi foederis significandas adhibita sit, nemo mirabitur, quod hic quoque vocabulum illud utramque servaverit notionem. Sacrificium paschale novi testamenti est Christus, qui pro hominum peccatis ipse se in cruce immolavit. Coena paschalis novi testamenti est coena dominica a Domino nostro ante vitae exitum discipulis tradita. Hac enim coena agnus paschalis novi testamenti h. e. corpus et sanguis Servatoris fidelibus edenda praebentur. Quare ecclesiae patres vocabulo *πάσχα* utuntur ad utramque rem significandam.

1. Jam Paulus apostolus Christum verum pascha appellaverat (I Cor. 5, 7), quem permulti iique antiquissimi secuti sunt ecclesiae scriptores. Qua de re, cum satis sit nota, non est cur multa disseramus. Id autem animadvertamus necesse est, ecclesiae patres, cum Christum verum agnum paschalem intelligerent, etiam eum diem vel eos dies, quos in memoriam passionis Christi celebrarent, paschales dies vel pascha nominasse. Sic TERTULLIANUS[2], de baptismo, c. 19: „pascha —, cum et passio Domini — adimpleta est“, de oratione, c. 18: „die paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est“. In ATHANASII epistolis festalibus[3] tota hebdomas memoriae passionis Christi dicata „hebdomas paschatis“ appellatur; quocum optime consentit EPIPHANIUS, haer. 70, 12: *παρατηρεῖται δὲ ἡ ἐκκλησία ἄγειν τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα, τουτέστι τὴν ἑβδομάδα τὴν ὡρισμένην* (cf. quae paulo ante leguntur: *μία γὰρ ἡμέρα παρ᾽ ἐκείνοις ζητεῖται, παρ᾽ ἡμῖν δὲ οὐ μία ἀλλὰ ἕξ, ἑβδομὰς πληρεστάτη*, et haer. 75, 6:

---

[1] cf. GRIMMII Lexicon s. v.

[2] v. STEITZ, *Stud. u. Krit.* 1856, p. 750.

[3] MAI, Nova patrum bibliotheca, VI, 1 (1853), p. 38. 47. 124. — LARSOW, *Die Festbriefe d. heil. Athanasius* (1852), p. 69. 76. 134.

*περὶ τῶν ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα πῶς παραγγέλλουσι* etc.). *Πάσχα* ergo sensu christiano est Christus, verus noster agnus paschalis; deinde dies memoriae passionis dicati.

2. Ab altera parte vocabulum *πάσχα* significare indicavi c o e n a m paschalem novi testamenti, h. e. coenam dominicam. Quod si cui parum rectum videatur, in Eusebii libro *περὶ τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς*[1] certissima inveniet argumenta, quibus haec nostra sententia probatur. Sed jam Hilgenfeld bene vidit[2], *πάσχα* apud Marcionem esse coenam dominicam. Nam ex Epiphanii verbis[3] „*καὶ μὴ λέγε ὅτι ὃ ἔμελλε μυστήριον ἐπιτελεῖν, τοῦτο προωνόμαζε λέγων· Θέλω μεθ᾽ ὑμῶν φαγεῖν τὸ πάσχα*“ licebit colligere, Marcionem dixisse, *τὸ πάσχα*, de quo Dominus Luc. 22, 7 sqq. loqueretur, esse *τὸ μυστήριον*, h. e. eucharistiam, quam Dominus tum instituisset[4]. Marcioni igitur coena dominica *τὸ πάσχα* christianum erat. Eundem autem loquendi usum apud Eusebium invenimus, qui in libro modo laudato christianorum pascha paschati Judaico praeter ceteras etiam hanc ob causam praeferendum esse dicit, quia Judaei semel tantum quotannis pascha administrent, christiani autem singulis diebus dominicis suum novi testamenti pascha celebrantes semper corpore salutari satientur semperque sanguinem agni accipiant: *ἡμεῖς οἱ τῆς καινῆς διαθήκης ἐφ᾽ ἑκάστης κυριακῆς ἡμέρας τὸ ἑαυτῶν πάσχα τελοῦντες ἀεὶ τοῦ σώματος τοῦ σωτηρίου ἐμφορούμεθα, ἀεὶ τοῦ αἵματος τοῦ προβάτου μεταλαμβάνομεν* (c. 7). Quae verba evidenter docent, *τὸ πάσχα* Eusebio idem fuisse quod eucharistiam singulis diebus dominicis a fidelibus celebratam. Idem comprobatur his quae paulo post leguntur verbis: *καθ᾽ ἑκάστην ἑβδομάδα τὴν τοῦ πάσχα τοῦ ἡμετέρου ἑορτὴν κατὰ τὴν σωτήριον*

---

[1] Mai, Nova patrum bibliotheca, IV (1847), p. 209—216.

[2] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 227 sq. — *Paschastreit*, p. 202 sq.

[3] haer. 42, schol. 61, t. II, p. 355, ed. Dindorf.

[4] cf. Hahn, *d. Ev. Marcions* (1823), p. 85. — Ritschl, *d. Ev. Marcions* (1846), p. 107. — Volckmar, *d. Ev. Marcions* (1852), p. 93.

*καὶ κυριακὴν ἡμέραν ἐπιτελοῦμεν, τοῦ ἀληθινοῦ προβάτου, δι' οὗ ἐλυτρώθημεν, τὰ μυστήρια ἀποπληροῦντες.* Mysteria igitur facientes singulis hebdomadibus christiani pascha celebrabant; quae mysteria — scil. coena dominica — Eusebio auctore revera *τὸ πάσχα* erant. Quare Eusebius eodem modo quo Marcion contendit, *τὸ πάσχα,* de quo Christus Luc. 22, 15 loquatur (*ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν*), non fuisse pascha Judaicum, sed salutare novi foederis sacramentum: *τὸ σωτήριον μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης* (c. 9.). Post Eusebium simili modo etiam AUGUSTINUS, ISIDORUS PELUSIENSIS, alii[1] coenam dominicam pascha appellaverunt[2].

Apparet igitur, *τό πάσχα* christianum omnibus numeris paschati Judaico respondere. Ut Judaei sic etiam christiani agnum paschalem habent, qui pro populi peccatis immolatus est; utrisque coena est, in qua hujus agni carnem fideles edere solent. Quare cum christiani eodem modo quo Judaei sollemne anniversarium instituerent, quod paschatis loco esset, hoc aliter fieri non potuit, nisi ut redemptionis per Christum nobis paratae recordarentur coenamque dominicam ab eodem olim institutam administrarent. Quod revera factum esse, et in orientalibus ecclesiis et in occidentalibus, accuratior controversiae paschalis investigatio nos docebit.

---

Apud Eusebium[3] nobis refertur, VICTORIS episcopi Romani[4] et POLYCRATIS episcopi Ephesini temporibus inter ecclesias

[1] vid. HILGENFELD, *Paschastreit,* p. 204, not.

[2] cf. etiam celeberrimum illud THOMAE AQUINATIS carmen „de venerabili sacramento in festo corporis Christi", ubi haec exstant verba:

In hac mensa novi regis
Novum pascha novae legis
Phase vetus terminat.

[3] H. E. V, 23—25.

[4] De antiquissimis Romanorum pontificum catalogis nuperrime LIPSIUS sagacissime disputavit; vid. *Die Papstverzeichnisse des Euse-*

christianas magnam de paschate celebrando exortam esse contentionem. Sed jam antea etiam inter ANICETUM Romanum et POLYCARPUM Smyrnensem de observando die paschali pace tamen ecclesiae servata disputatum fuisse, ex Irenaei epistola ad Victorem data scimus[1]. Et e fragmento, quod e MELITONIS de paschate libro Eusebius asservavit[2], comperimus, Melitonis quoque aetate anno fere p. Chr. n. 170[3] Laodiceae de paschate

---

*bius u. der von ihm abhängigen Chronisten kritisch untersucht*, Kiel, 1868. Qua commentatione demonstravit (p. 12, 28), catalogum, quem Eusebius in historia ecclesiastica adhibuerit, aetatis a Petro usque ad Urbanum testem prae ceteris fide dignum habendum esse; eumque ita restituit (p. 19): Petrus XXV (h. e. per XXV annos episcopatu fungebatur), Linus XII, Anencletus XII, Clemens VIIII, Evarestus VIII, Alexander X, Xystus X, Telesphorus XI, Hyginus IIII, Pius XV, Anicetus XI, Soter VIII, Eleutherus XV, Victor X, Zephyrinus XVIII, Callistus V, Urbanus VIII. Cum autem Urbanus anno p. Chr. n. 230 mortuus sit (p. 10), per hos annos singuli episcopatu functi esse dicuntur:

| | | |
|---|---|---|
| Petrus | XXV, a. | 39—64 p. Chr. n. |
| Linus | XII, a. | 64—76. |
| Anencletus | XII, a. | 76—88. |
| Clemens | VIIII, a. | 88—97. |
| Evarestus | VIII, a. | 97—105. |
| Alexander | X, a. | 105—115. |
| Xystus | X, a. | 115—125. |
| Telesphorus | XI, a. | 125—136. |
| Hyginus | IIII, a. | 136—140. |
| Pius | XV, a. | 140—155. |
| Anicetus | XI, a. | 155—166. |
| Soter | VIII, a. | 166—174. |
| Eleutherus | XV, a. | 174—189. |
| Victor | X, a. | 189—199. |
| Zephyrinus | XVIII, a. | 199—217. |
| Callistus | V, a. | 217—222. |
| Urbanus | VIII, a. | 222—230. |

[1] Euseb. H. E. V, 24, 16 sq.

[2] H. E. IV, 26, 3: *Ἐπὶ Σερουιλλίου Παύλου ἀνθυπάτου τῆς Ἀσίας, ᾧ Σάγαρις καιρῷ ἐμαρτύρησεν, ἐγένετο ζήτησις πολλὴ ἐν Λαοδικείᾳ περὶ τοῦ πάσχα, ἐμπεσόντος κατὰ καιρὸν ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις.*

[3] vid. WEITZEL, *Passafeier*, p. 17. — HILGENFELD, *Paschastreit*, p. 252, not. 1.

certatum esse. Verumtamen neque quid Polycarpus cum Aniceto disseruerit satis notum est, neque qua de re Laodiceae litigatum sit nobis refertur. Quare controversiae paschalis causam et naturam investigantes ante omnia accuratius inquiramus necesse est in magnam illam contentionem Victoris et Polycratis aetate exortam.

Quae fuerit contentionis causa et natura, Eusebius his exponit verbis (H. E. V, 23, 1): *Ζητήσεως δῆτα κατὰ τούσδε οὐ σμικρᾶς ἀνακινηθείσης, ὅτι δὴ τῆς Ἀσίας ἁπάσης αἱ παροικίαι ὡσὰν ἐκ παραδόσεως ἀρχαιοτέρας σελήνης τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ᾤοντο δεῖν ἐπὶ τῆς τοῦ πάσχα σωτηρίου ἑορτῆς παραφυλάττειν, ἐν ᾗ θύειν τὸ πρόβατον Ἰουδαίοις προηγόρευτο, ὡς δέον ἐκ παντὸς κατὰ ταύτην, ὁποίᾳ δ' ἂν ἡμέρᾳ τῆς ἑβδομάδος περιτυγχάνοι, τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις ποιεῖσθαι, οὐκ ἔθους ὄντος τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις, ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς δεῦρο κρατῆσαν ἔθος φυλαττούσαις, ὡς μηδ' ἑτέρᾳ προσήκειν παρὰ τὴν τῆς ἀναστάσεως τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἡμέρᾳ τὰς νηστείας ἐπιλύεσθαι.* His verbis docemur, Asiae minoris ecclesias quarto decimo lunae die[1] jejunium, quod pascha antecedebat, solvisse, reliquas autem ecclesias nullo alio nisi resurrectionis die h. e. die dominica illud fecisse. Nam quod Mayer[2] monuit, quem Lechler[3] et Roesch[4] secuti sunt, e verbis „*ὡς δέον ἐκ παντὸς κατὰ ταύτην — τὰς τῶν ἀσιτιῶν ἐπιλύσεις ποιεῖσθαι*“ non id posse colligi, Asianos quarto decimo die jejunium solvisse, sed id tantum, eos ad hunc diem jejunii finem computasse (ita ut sexto decimo die semper jejunii finem facerent), hoc parum Eusebii verbis probatur. Etenim ad quartum decimum diem etiam Asianorum adversarii jejunii

[1] h. e. quarto decimo primi mensis die. Hebraeorum enim annus a nova luna initium cepit.

[2] *Die Aechtheit des Ev. nach Joh.*, p. 394.

[3] *Das apost. u. d. nachapost. Zeitalter*, ed. 2., p. 510.

[4] Herzog, *Real-Enc.*, XVIII, 475.

finem computaverunt, ita ut hac re Asiani minime ab iis differrent. Et si haec fuisset Eusebii sententia, id quoque ei dicendum erat, quonam die Asiani soliti essent jejunium solvere. Nam de ipso die, quo solvendum esset jejunium, quaestio erat. *Κατά* autem praepositio c. acc. saepe adhibetur de tempore, quo quid factum sit[1], quam significationem etiam nostro loco ei tribuendam esse, ex iis quae modo exposui apparebit. Certum igitur est, Asianas ecclesias quarto decimo lunae die, reliquas autem ecclesias die dominica jejunium solvisse.

Jam vero quid jejunio soluto fecerint quaeritur et quomodo illum diem utrique celebraverint. De hoc quaerentibus Eusebius id tantum nobis respondet, Asianorum adversarios decrevisse, *ὡς ἂν μηδ' ἐν ἄλλῃ ποτὲ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἐπιτελοῖτο τοῦ κυρίου μυστήριον, καὶ ὅπως ἐν ταύτῃ μόνῃ τῶν κατὰ τὸ πάσχα νηστειῶν φυλαττώμεθα τὰς ἐπιλύσεις.* Occidentales igitur die dominica sacramentum resurrectionis Domini agebant, h. e. resurrectionis Domini recordati coenam dominicam administrabant[2]. Hoc eorum *πάσχα* erat, quod die dominica quotannis celebrabant. Sed Asiani quid faciebant? Dubitari non potest, quin et ipsi coenam dominicam administraverint. Ex adversariorum enim decreto illo: „*ὡς ἂν μηδ' ἐν ἄλλῃ ποτὲ τῆς κυριακῆς ἡμέρᾳ τὸ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως ἐπιτελοῖτο τοῦ κυρίου μυστήριον*“,

---

[1] Krueger, *Sprachlehre*, §. 68, 25, 1. — Winer, *Grammatik*, ed. 7. (1867), p. 374. — Hilgenfeld, *Paschastreit*, p. 287 not.

[2] *μυστήριον* esse coenam dominicam, demonstravit Weitzel, *Passafeier*, p. 97, cui assensus est Hilgenfeld, *Paschastreit*, p. 288 not. — cf. etiam quae supra, p. 9 sq., de notione vocabuli *πάσχα* exposui, ubi ex Epiphanio (haer. 42, schol. 61) et Eusebio (de pasch. c. 7 et 9) tres attuli locos, in quibus *μυστήριον* coenam dominicam significare nemo, credo, negabit. Omnino autem ecclesias catholicas pascha suum celebrantes non solum administrasse coenam dominicam, sed etiam ejus administrationem summam celebrationis habuisse ex iis, quae ibidem ex Eusebio attuli, apparet.

hoc efficitur, utramque partem eandem coenam dominicam celebrasse, neque ab iis certatum esse, nisi de die, quo hoc faciendum esset. Sin autem quis dicat, nullo modo Asianos sacramentum resurrectionis celebrare potuisse, cum quarto decimo die pascha suum habuerint, quo quidem die Dominus aut ultimam coenam egerit aut cruci affixus sit, minime autem resurrexerit, sane, respondeo, resurrectionis sacramentum hoc die administrare non poterant. Sed hoc neque ego contendi neque verbis Eusebii inest. Cujus ex verbis nihil aliud efficitur, nisi Asianos eodem quo adversarios modo ipsorum die paschali coenam dominicam celebrasse; quam coenam occidentales, quippe qui eam resurrectionis die haberent, sacramentum resurrectionis nominaverunt, hoc nomine indicantes, quam ineptum esset, hanc coenam alio atque resurrectionis die administrare. — Die autem quarto decimo Asianos hanc coenam celebrasse, negari non potest. Nam sicut occidentales die dominica jejunio soluto sacram coenam instituebant, ita Asianos quarto decimo die jejunio soluto hanc coenam obiisse jam analogia probatur. Rem autem profecto ita se habere, Polycratis epistola ad Victorem data[1] confirmatur, quae tota versatur in commendanda quarti decimi diei observatione. Nusquam de alio nisi de hoc die loquitur. Hunc diem, ait Polycrates, a Joanne apostolo aliisque viris sanctis esse observatum; eundem se ipsum semper observaturum. Hic igitur dies revera erat Asianorum dies paschalis, quo jejunio soluto sacram coenam celebrabant[2].

---

[1] Euseb. H. E. V, 24.

[2] Idem confirmatur verbis Epiphanii diserte dicentis, Asianos quarto decimo die coenam dominicam administrasse, haer. 50, 1: *ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν ἄγοντες καὶ τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν νηστεύοντες καὶ τὰ μυστήρια ἐπιτελοῦντες* etc. Quo loco *τὰ μυστήρια* praecipue coenam dominicam significare quis est qui negaverit?

Sed omnino hunc diem solum Asianos celebrasse, e fontium locis manifestum est. Nam praeterquam quod Polycrates — sicut modo commemoravimus — nusquam de alio die loquitur, diserte etiam dicit, hunc diem solum se suosque observare. Quam enim aliam sententiam tribuamus his verbis ejus (l. l. V, 24, 2): „*Ἡμεῖς οὖν ἀρρᾳδιούργητον ἄγομεν τὴν ἡμέραν, μήτε προστιθέντες μήτε ἀφαιρούμενοι*“? Cum quartum decimum diem ita diligenter observarent Asiani, ut neque adjicerent neque detraherent quidquam, clarum esse mihi videtur, eos hunc solum observasse. Quomodo enim dicere poterat Polycrates, nihil se adjicere, si revera quidquam adjecissent? Eos autem hunc diem solum celebrasse, Epiphanius quoque diserte testatur, qui quartodecimanis suae aetatis cum alia tum hoc crimini dat, eos unum tantum diem celebrare; vid. haer. 50, 1: *ἅπαξ γὰρ τοῦ ἔτους μίαν ἡμέραν τὸ*[1] *πάσχα οἱ τοιοῦτοι φιλονείκως ἄγουσι·* et paulo post: *ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν ἄγοντες καὶ τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν νηστεύοντες καὶ τὰ μυστήρια ἐπιτελοῦντες, ἀπὸ τῶν Ἄκτων δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦσι τὴν ἀκρίβειαν ηὑρηκέναι κ. τ. λ.* Idem de Audianis, qui quartodecimanorum ritum sequebantur, haec profert, haer. 70, 12: *μία γὰρ ἡμέρα παρ' ἐκείνοις ζητεῖται, παρ' ἡμῖν δὲ οὐ μία, ἀλλὰ ἕξ, ἑβδομὰς πληρεστάτη.* Certum igitur est, Asianos nullum nisi hunc unum diem celebrasse quartum decimum. Quare recte jam Gieseler[2] monuit, eos diem resurrectionis non sollemniter egisse. Et post eum Weitzel[3], Hilgenfeld[4], Steitz[5],

[1] ita Dindorf sec. cod. Ven.; Petavius: *τοῦ*.
[2] *Kirchengesch.* I, 1 (ed. 4.), p. 241: „*Von einer Jahrsfeier der Auferstehung ist bei ihnen keine Spur*“.
[3] *Stud. u. Krit.* 1848, p. 825 sq. 849.
[4] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 233. 255. 260 not.
[5] *Stud. u. Krit.* 1856, p. 797—799. Postea Steitz ad aliam sententiam transiit, de qua vid. infra.

Baur[1], Lipsius[2], Holtzmann[3], Davidson[4] recte viderunt, Asianos omnino unum tantum diem celebrasse.

Neque tamen omnibus hoc placuit. Alii enim existimaverunt, Asianos quintum decimum diem in memoriam mortis Jesu Christi et septimum decimum in memoriam resurrectionis ejus sollemniter egisse. Ita censuerunt Mosheim[5], Bretschneider[6], Neander[7], Schwegler[8], Lindner[9], Hasse[10]; et de Audianis quidem etiam Hilgenfeld[11] et Wallon[12]. Sed illi omnino argumenta non attulerunt, hi autem (Hilgenfeld et Wallon) tantummodo infirma. Namque hoc solum nituntur, quod in constitutionibus apostolicis, quibus Audiani utebantur, praescriptum fuerit: *τὴν ἀγρυπνίαν φέρειν μεσαζόντων τῶν ἀζύμων* (Epiph. haer. 70, 10). Quam *ἀγρυπνίαν* eam vigiliam intelligunt, quae resurrectionis diem antecesserit; unde apertum esse dicunt, Audianos resurrectionis memoriam septimo decimo die celebrasse. Contra jam Weitzel[13] demonstravit, illas Audianorum constitutiones non merum quartodecimanorum ritum continere, sed promiscue

---

[1] *Theol. Jahrbb.* 1857, p. 244. — *Ztschr. f. wissensch. Theol.* 1858, p. 302.

[2] *Literar. Centralbl.* 1860, col. 515. — *Zur Quellenkritik des Epiphanios,* p. 21 sq.

[3] Weber *u.* Holtzmann, *Gesch. d. V. Israel,* II, 717.

[4] *Introduction,* II, 409: *If it be asked, Did they not celebrate the memory of the crucifixion-day at all? we answer, That their remembrance of the passion-time was concentrated in the significance of one day.*

[5] De rebus Christianorum ante Const. M. comm. p. 442.

[6] Probabilia, p. 109.

[7] *Kirchenhistor. Archiv,* 1823, fasc. 2, p. 91. 96. — *Allg. Gesch. d. christl. Rel. u. Kirche,* ed. 1., I, 342.

[8] *Montanismus,* p. 196.

[9] *Lehrb. d. christl. Kirchengesch.* I, 36.

[10] *Kirchengesch.* I, 89.

[11] *Paschastreit,* p. 381 sq. — *Zeitschrift,* 1861, p. 309 sq.

[12] *Godgeleerde bijdragen voor* 1861, fasc. 1, p. 78 sq.

[13] *Passafeier,* p. 259.

partim horum partim occidentalium ritum; ita ut verba illa occidentalium ritum respiciant[1] neque quidquam nobis referant de quartodecimanorum ritus natura; quam sententiam Hilgenfeld quoque olim defenderat[2]. Ceterum etiamsi Audiani quarto p. Chr. n. saeculo praeter quartum decimum etiam resurrectionis diem celebrassent, inde minime efficeretur, jam secundo saeculo Asianas ecclesias idem fecisse.

Alii, ut Dorner[3], Mayer[4], Hefele[5], Lechler[6], Zoeckler[7], Roesch[8], judicaverunt, sextum decimum primi mensis diem ab Asianis ecclesiis memoriae resurrectionis Domini consecratum fuisse. Sed ne illi quidem ulla attulerunt argumenta.

Weitzel denique hanc proposuit sententiam[9], Asianos quartum decimum quidem diem memoriae mortis Christi dicasse, insequente autem die dominica sollemne resurrectionis ejus celebrasse. Quam sententiam postquam Weitzel ipse reliquit (vid. supra p. 15, not. 3), defendere conatus est Steitz[10]. Sed ut omittam, omnino parum probabile esse, alteram celebrationis partem certo mensis die, alteram certo hebdomadis die peractam esse, argumentum a Steitzio allatum vix quemquam convincet. Ait enim, in epistola illa a Smyrnensibus de Polycarpi martyrio ad Ponticas ecclesias data referri, Polycarpum ὄντος σαβ-

---

[1] ibid. p. 258.

[2] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 265. — Constitutiones illas mixtas fuisse, ne nunc quidem Hilgenfeld negat; cf. Nov. Test. extr. can. recept. (1866), IV, 86.

[3] *Entwickelungsgesch. d. Lehre v. d. Pers. Christi,* I, 282 sq.

[4] *Die Aechtheit des Ev. nach Joh.* p. 389. 411.

[5] *Conciliengesch.* I, 289.

[6] *Das apost. u. d. nachap. Zeitalter,* ed. 2., p. 510.

[7] in: Herzog, *RE.* XVII, 178.

[8] in: Herzog, *RE.* XVIII, 474 sq.

[9] *Die christl. Passafeier,* p. 103 sq. 112. 265.

[10] *Stud. u. Krit.* 1859, p. 726. — *Jahrbb. f. deutsche Theol.* 1861, p. 102. 124 sq.

*βάτου μεγάλου* diem supremum obiisse [1]; *σάββατον μέγα* autem esse sabbatum dominicam resurrectionis antecedens. Sequi igitur, hunc diem ab illis esse celebratum. Sed nusquam legimus, jam secundo p. Chr. n. saeculo sabbatum dominicam resurrectionis antecedens *μέγα σάββατον* vocatum esse; imo ne Steitz quidem ipse quemquam hujus loquendi usus testem Chrysostomo antiquiorem afferre potest [2]. Usque ad Chrysostomi igitur tempora nusquam „sabbatum magnum" eo, quem Steitz ei attribuit, sensu invenitur. Quare cum in epistola medio fere saeculo secundo scripta legimus, Polycarpum *ὄντος σαββάτου μεγάλου* mortuum esse, multo probabilius videtur, hoc ad Judaeorum loquendi usum referendum esse, qui unumquemque diem eximiis quibusdam sollemnibus insignem „magnum" vocarent. Quo nomine verbi gratia appellatur Joh. 7, 37 septimus festi tabernaculorum dies (*ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς*), et Joh. 19, 31 primus dies azymorum (*ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνου τοῦ σαββάτου*). Eodem modo sabbatum, quo Polycarpus morte defunctus est, magnum fuisse videtur, quippe in quod festus aliquis Judaeorum dies inciderit. Nam ecclesiam Smyrnensem celebrationis Judaicae rationem ita habuisse, minime nos offendet, quoniam ex ipsa controversia paschali patet, ecclesias Asianas etiamtum usas esse calendario Judaico. Quocunque autem modo res se habet, certe verba illa ne minimum quidem valent contra testimonium Polycratis diserte negantis, Asianos quarti decimi diei observationi quidquam adjecisse. Quare dubitari non poterit, quin Asianorum pascha unius hujus diei spatium non sit egressum.

Videtur autem ne jejunium quidem eorum ante hunc diem initium cepisse. Nam Epiphanius quidem refert (haer. 50, 1), quartodecimanos neque jejunasse neque sacramenta administrasse

---

[1] Euseb. H. E. IV, 15, 15.
[2] vid. Herzog, *RE.* XI, 162.

nisi per unum diem (τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν νηστεύοντες καὶ τὰ μυστήρια ἐπιτελοῦντες); eosdem autem Polycratis aetate aliter fecisse, non est, cur statuamus. Quare STEITZ[1] aliique recte statuisse mihi videntur, Asianos solo die quarto decimo jejunasse eodemque sub vesperum sacram coenam administrasse. Quocum optime consentit, quod IRENAEUS[2] dicit, multiplicem esse jejunandi formam, οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. Etenim ii, qui unum diem jejunabant, Asiani videntur fuisse[3].

Quae adhuc de quartodecimanorum ritus natura cognovimus, haec sunt. Observabant solum quartum decimum primi mensis diem. Hunc diem jejunantes agebant; sub vesperum autem coenam administrabant sacram. Hic dies erat eorum ἑορτὴ τοῦ πάσχα. — Sed jam quaestio oritur, in cujus rei vel facti memoriam hunc diem celebraverint. Afferunt viri docti Eusebii verba H. E. V, 23, 1, e quibus apparere dicunt, etiam Asianorum pascha fuisse ἑορτὴν σωτήριον; celebratum ergo esse in memoriam Servatoris; quaeri autem, cujus praecipue rei a Domino nostro gestae hoc die meminerint, utrum ultimae ejus coenae, an mortis ejus salutaris. Sed videntur mihi Asiani hujus diei celebrationem omnino non instituisse in certi cujusdam facti in evangeliis relati memoriam. Si enim hoc consilio sollemne anniversarium instituissent, certe resurrectionem, caput et summam totius historiae evangelicae, plane negligere non poterant. Quomodo enim fieri potuit, ut certum aliquem diem in memoriam vel ultimae coenae vel mortis Jesu Christi celebrarent, cum resurrectionis omnino non recordarentur? Re-

---

[1] *Stud. u. Krit.* 1856, p. 797 sq.
[2] Euseb. H. E. V, 24, 12.
[3] cf. HILGENFELD, *Paschastreit*, p. 309.

surrectionis autem memoriam eos quarto decimo die egisse, quis contendere audebit? Huc accedit, quod — ut ex Eusebii verbis (H. E. V, 23) colligi potest — quarto decimo die idem prorsus sollemne videntur celebrasse, quod occidentales agebant dominica resurrectionis. Quomodo autem die quarto decimo ejusdem rei a Domino nostro gestae recordari poterant, cujus memoriae occidentales dominicam resurrectionis consecraverant? Unde apparet, Asianos diei quarti decimi observationem omnino non instituisse in memoriam certi cujusdam facti evangelici. Videtur potius summa celebrationis eorum fuisse coena dominica, quam administrantes redemptionis per Christum nobis paratae gratias agebant[1]. Coena dominica enim — quod supra jam vidimus — christianis revera *τὸ πάσχα* erat. Quare relicto Judaeorum more hoc *πάσχα* quotannis agebant, beneficii redemptionis per Christum, verum agnum paschalem, paratae recordati. Agebant autem eo qui in vetere testamento praescriptus erat die. Nam *πάσχα* erat eorum coena. Hoc autem ut quarto decimo primi mensis die institueretur, per Mosen olim Deus praeceperat. Quare hunc diem diligenter observandum esse putabant. Hoc ergo

---

[1] Egregie Riggenbach, *Die Zeugnisse f. d. Ev. Joh.* p. 62 sq. haec dicit: „*Galt es* (scil. *das Fest der Kleinasiaten) der Einsetzung des Abendmahls? Oder galt es dem Tode Christi? Das ist eine Unterscheidung, über die sich wohl der Apostel verwundern würde. Es bestand nach vorausgegangenem Fasten im feierlichen Geniessen des Abendmahls, als des Mahles, worin das Gedächtniss des Todes Christi begangen wird. Das ist unser Pascha, entgegen dem jüdischen, mochten sie sagen.*“ Ibid.: „*wenn der Apostel Johannes, wie kein Zweifel ist, am* 14. *Nisan das christliche Passa durch die Feier der Eucharistie beging, sich anschliessend an das, was er vorfand, oder auch als Urheber dieser Weise für Kleinasien, so haben wir doch keine Ursache zu der Annahme, weder dass das Essen Jesu, noch dass sein Tod im Gegensatz zum Essen den Ausschlag gab; sondern der vierzehnte war durch die jüdische Feier gegeben*“ etc.

veteris testamenti praeceptum respiciens Polycrates Victori scripsit[1]: *πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις.* Quamquam autem, quod ad diem attinet, veteris testamenti praecepta respiciebant, tamen res ipsa mere christiana erat. Erat revera *ἑορτὴ σωτήριος.* — Sed non solum veteris testamenti lege, verum etiam historia evangelica nisus Polycrates contendit, diem quartum decimum se observare *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*[2]. Quae verba quid sibi velint, rectius intelligemus, ubi inspexerimus fragmenta illa, quae ex Hippolyti, Apolinarii (sic!), Clementis Alexandrini libris in chronico paschali[3] asservantur.

---

Hippolyti fragmenta haec sunt:

1. E libro „*πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις*“:

*Ὁρῶ μὲν οὖν ὅ,τι φιλονεικίας τὸ ἔργον. λέγει γὰρ οὕτως· ἐποίησε τὸ πάσχα ὁ Χριστὸς τότε τῇ ἡμέρᾳ καὶ ἔπαθεν· διὸ κἀμὲ δεῖ ὃν τρόπον ὁ κύριος ἐποίησεν οὕτω ποιεῖν. πεπλάνηται δὲ μὴ γινώσκων ὅτι ᾧ καιρῷ ἔπασχεν ὁ Χριστὸς οὐκ ἔφαγε τὸ κατὰ νόμον πάσχα. οὗτος γὰρ ἦν τὸ πάσχα τὸ προκεκηρυγμένον καὶ τὸ τελειούμενον τῇ ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ.*

2. E libro „*περὶ τοῦ ἁγίου πάσχα*“:

*Οὐδὲ ἐν τοῖς πρώτοις οὐδὲ ἐν τοῖς ἐσχάτοις ὡς οὐκ ἐψεύσατο, πρόδηλον ὅτι ὁ πάλαι προειπὼν ὅτι Οὐκέτι φάγομαι τὸ πάσχα εἰκότως τὸ μὲν δεῖπνον ἐδείπνησεν πρὸ τοῦ πάσχα, τὸ δὲ πάσχα οὐκ ἔφαγεν, ἀλλ' ἔπαθεν. οὐδὲ γὰρ καιρὸς ἦν τῆς βρώσεως αὐτοῦ.*

Dubitari non potest, quin Hippolytus his verbis adversarium quendam impugnet, qui pascha semper die quarto decimo

---

[1] Euseb. H. E. V, 24, 7. Bene animadvertas, paulo ante legi verba: *πᾶσαν ἁγίαν γραφὴν διεληλυθώς*, ita ut dubitari non possit, quin verba „*πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις*“ praeceptum aliquod scripturae respiciant.

[2] Euseb. H. E. V, 24, 6.

[3] ed. Dindorf, I, 12—15.

celebrandum esse contenderit. Quod apparet e verbis, quae proferentem Hippolytus adversarium suum facit: *διὸ κἀμὲ δεῖ ὃν τρόπον ὁ κύριος ἐποίησεν οὕτω ποιεῖν.* Putavit enim ille, Dominum die quarto decimo pascha celebrasse. Contra Hippolytus contendit, Dominum minime, antequam mortem subiret, die quarto decimo pascha edisse. Ipsum enim fuisse verum agnum paschalem, qui *τῇ ὡρισμένῃ ἡμέρᾳ* h. e. die quarto decimo mortuus sit. Non quarto igitur sed tertio decimo die coenam eum habuisse. Quare adversarii ritum fundamento, quo nitatur, carere.

Ejusdem generis adversarios impugnavit Apolinarius in libro suo *περὶ τοῦ πάσχα*, cujus haec exstant fragmenta:

1. *Εἰσὶ*[1] *τοίνυν οἳ δι' ἄγνοιαν φιλονεικοῦσι περὶ τούτων, συγγνωστὸν πρᾶγμα πεπονθότες· ἄγνοια γὰρ οὐ κατηγορίαν ἀναδέχεται, ἀλλὰ διδαχῆς προσδεῖται· καὶ λέγουσιν ὅτι τῇ ιδ' τὸ πρόβατον μετὰ τῶν μαθητῶν ἔφαγεν ὁ κύριος, τῇ δὲ μεγάλῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων αὐτὸς ἔπαθεν, καὶ διηγοῦνται Ματθαῖον οὕτω λέγειν ὡς νενοήκασιν· ὅθεν ἀσύμφωνός τε νόμῳ ἡ νόησις αὐτῶν καὶ στασιάζειν δοκεῖ κατ' αὐτοὺς τὰ εὐαγγέλια.*

2. *Ἡ ιδ' τὸ ἀληθινὸν τοῦ κυρίου πάσχα, ἡ θυσία ἡ μεγάλη, ὁ ἀντὶ τοῦ ἀμνοῦ παῖς θεοῦ, ὁ δεθεὶς ὁ δήσας τὸν ἰσχυρόν, καὶ ὁ κριθεὶς κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν, καὶ ὁ παραδοθεὶς εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν, ἵνα σταυρωθῇ, ὁ ὑψωθεὶς ἐπὶ κεράτων μονοκέρωτος, καὶ ὁ τὴν ἁγίαν πλευρὰν ἐκκεντηθείς, ὁ ἐκχέας ἐκ τῆς πλευρᾶς αὐτοῦ τὰ δύο πάλιν καθάρσια, ὕδωρ καὶ αἷμα, λόγον καὶ πνεῦμα, καὶ ὁ ταφεὶς ἐν ἡμέρᾳ τῇ τοῦ πάσχα, ἐπιτεθέντος τῷ μνήματι τοῦ λίθου.*

Ex his Apolinarii verbis ante omnia manifestum est, adversarios ejus minime fuisse homines perversos a salutari evangelii doctrina delapsos. Neque enim falsam doctrinam, sed id tantum iis crimini dat, quod „propter ignorantiam“ con-

---

[1] Hilgenfeld (*Paschastr.* p. 255) pro *εἰσὶ* habet *ἔνιοι*, quod unde repetierit nescio.

tentiones excitent; quam rem venia esse dignam, quoniam ignorantia non admittat accusationem, sed egeat doctrina. Clarum est, ita eum dicere non potuisse, si cum haereticis res fuisset. Quare statuendum erit nobis, illos *δι' ἄγνοιαν φιλονεικοῦντας* ecclesiae catholicae fuisse sodales. Sed quamnam sententiam sequebantur? Apolinarius nihil aliud refert, nisi dixisse eos, Dominum quarto decimo die pascha egisse, quinto decimo autem cruci affixum esse; cujus opinionis testem Matthaeum eos attulisse. Sed jam quaeritur, quo tandem consilio hoc contenderint. Vix quisquam dubitet, quin Apolinarii et Hippolyti adversarii fuerint iidem. Parum enim probabile est, jam secundo p. Chr. n. saeculo historiae solum indagandae causa de evangeliorum chronologia disputatum esse. Quare jure nostro statuemus, Apolinarii quoque sicut Hippolyti adversarios die quarto decimo quotannis pascha celebrasse; quem ritum ita defendebant, ut Matthaeo auctore etiam Dominum hoc die pascha edisse dicerent. Quam eorum sententiam Apolinarius simili modo quo Hippolytus refutare conatus est. Monet enim, Christum, quippe qui verus sit agnus paschalis, nullo alio nisi eodem die, quo ut agnus immolaretur praeceptum fuisset, mortem subire potuisse. Quare, si quis contendat, die quinto decimo Dominum in crucis ligno immolatum esse, sententiam ejus legi repugnare, quippe qua praescriptum fuerit, ut die quarto decimo agnus immolaretur. (Eodem modo Apolinarii verba illa interpretati sunt Neander[1], Baur[2], Weitzel[3], Ebrard[4], Schneider[5],

---

[1] *Kirchenhistor. Archiv*, 1823, fasc. 2, p. 98.

[2] *Theol. Jahrbb.* 1844, p. 640 not. 3., p. 643. — *Krit. Unterss. über d. kanon. Evv.* p. 337.

[3] *Christl. Passafeier* p. 39 sq.

[4] *Wissenschaftl. Kritik*, ed. 2, p. 941. ed. 3, p. 1209.

[5] *Die Aechth. d. johann. Ev.* p. 56.

SCHOLTEN[1], RÉVILLE[2], RIGGENBACH[3]; aliter sed minus recte RETTBERG[4]; aliter denique HILGENFELD[5]). Huic dogmatico, ut ita dicam, argumento Apolinarius addit historicum, quo probet, Christum revera die quarto decimo mortuum esse. Dicit enim, si revera Matthaeus Dominum quinto decimo die cruci affixum esse referat, effici, ut evangelia dissideant, h. e. inter sese discrepent; quoniam dubitari non possit, quin auctore Joanne Christus die quarto decimo e vita egressus sit. Cum autem fieri non potuerit, ut Matthaeus alia atque Joannes referret, pro certo habendum esse, Christum auctore utroque die quarto decimo mortis poenam luisse. (Aliam verborum illorum interpretationem proposuerunt SCHWEGLER[6], BAUR[7], HILGENFELD[8], quibus nuper etiam VAN LEEUWEN[9] adstipulatus est. Dicunt enim, verbis *στασιάζειν δοκεῖ κατ' αὐτοὺς τὰ εὐαγγέλια* Apolinarium monere, adversariorum sententia effici, ut evangelia dissideant cum lege. Contra hanc interpretationem imprimis EBRARD[10]

---

[1] *Godgel. bijdr.* 1856, fasc. 2, p. 103.

[2] *Revue de théol.* t. XIII, 1856, p. 11 not.

[3] *Die Zeugnisse f. d. Ev. Joh.* p. 45.

[4] *Zeitschr. f. histor. Theol.* II, 2, p. 117: „*Widerspruch gegen das Gesetz ist so genug da, weil die Judaisirenden eine nicht am 14. Nisan gehaltene Mahlzeit für ein wahres Pascha ausgeben.*"

[5] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 244: „*Apollinaris weist diese Voraussetzung* (scil. Christum die quinto decimo cruci affixum esse) *hauptsächlich deshalb zurück, weil sie dem Gesetze nicht angemessen sei, den Juden eine ungesetzliche Handlung an dem heiligen Festtage beilege.*" Cfr. p. 278.

[6] *Montanismus,* p. 195.

[7] *Theol. Jahrbb.* 1844, p. 640. 655. — *Kanon. Evv.* p. 353—355. — *Theol. Jahrbb.* 1847, p. 130—132. — 1848, p. 280—282. — *Die drei ersten Jahrhh.* p. 162

[8] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 276—278.

[9] De sacris paschalibus, p. 49—53.

[10] *Das Ev. Joh.* (1845), p. 124—135. — *Wissenschaftl. Kritik,* ed. 2., p. 941—943. ed. 3., p. 1211 sq.

et WEITZEL[1] eam, quam nos secuti sumus, defenderunt, ad quam nunc etiam HILGENFELD[2], VOLKMAR[3], WALLON[4], STRAUSS[5], SCHOLTEN[6], TAYLER[7], DAVIDSON[8] accesserunt.) Cum ergo Christus quarto decimo die mortuus sit, tertio decimo autem coenam ultimam habuerit, adversariorum consuetudinem in historia evangelica non id quod contendant habere fundamentum.

Eandem fere sententiam CLEMENS ALEXANDRINUS proposuisse videtur in libro suo *περὶ τοῦ πάσχα*, ex quo haec fragmenta chronicon paschale servavit:

1. *Τοῖς μὲν οὖν παρεληλυθόσιν ἔτεσι τὸ θυόμενον πρὸς Ἰουδαίων ἤσθιεν ἑορτάζων ὁ κύριος πάσχα· ἐπεὶ δὲ ἐκήρυξεν αὐτὸς ὢν τὸ πάσχα, ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὡς πρόβατον ἐπὶ σφαγὴν ἀγόμενος, αὐτίκα ἐδίδαξε μὲν τοὺς μαθητὰς τοῦ τύπου τὸ μυστήριον τῇ ιγ', ἐν ᾗ καὶ πυνθάνονται αὐτοῦ· Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι τὸ πάσχα φαγεῖν; ταύτῃ οὖν τῇ ἡμέρᾳ καὶ ὁ ἁγιασμὸς τῶν ἀζύμων καὶ ἡ προετοιμασία τῆς ἑορτῆς ἐγίνετο. ὅθεν ὁ Ἰωάννης ἐν ταύτῃ τῇ ἡμέρᾳ εἰκότως ὡς ἂν προετοιμαζομένους ἤδη ἀπονίψασθαι τοὺς πόδας πρὸς τοῦ κυρίου τοὺς μαθητὰς ἀναγράφει· πέπονθεν δὲ τῇ ἐπιούσῃ ὁ σωτὴρ ἡμῶν, αὐτὸς ὢν τὸ πάσχα, καλλιερηθεὶς ὑπὸ Ἰουδαίων.*

2. *Ἀκολούθως ἄρα τῇ ιδ', ὅτε καὶ ἔπαθεν, ἕωθεν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς τῷ Πιλάτῳ προσαγαγόντες οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἀκωλύτως ἑσπέρας τὸ πάσχα φάγωσι. ταύτῃ τῶν ἡμερῶν τῇ ἀκριβείᾳ καὶ αἱ γραφαὶ πᾶσαι συμφωνοῦσι καὶ τὰ εὐαγγέλια*

---

[1] *Die christl. Passafeier*, p. 40—53.
[2] *Evangelien*, p. 344 sq. — *Paschastreit*, p. 257 sq. not. — *Kanon u. Krit.* p. 220 not.
[3] *Religion Jesu*, p. 481. — *Ursprung d. Evv.* p. 32.
[4] *Godgel. bijdr.* 1861, p. 62 sq.
[5] *Leben Jesu* (1864), p. 77.
[6] *Het Ev. n. Joh.* p. 16. — *Die ältesten Zeugnisse* p. 106.
[7] *The character of the fourth gospel*, p. 107, not. 4.
[8] *Introduction*, II, 411. 416.

*συνῳδά· ἐπιμαρτυρεῖ δὲ καὶ ἡ ἀνάστασις· τῇ γοῦν τρίτῃ ἀνέστη ἡμέρᾳ, ἥτις ἦν πρώτη τῶν ἑβδομάδων τοῦ θερισμοῦ, ἐν ᾗ καὶ τὸ δράγμα νενομοθέτητο προσενεγκεῖν τὸν ἱερέα.*

Liquet, etiam his Clementis Alexandrini verbis impugnari quosdam dicentes, Dominum die quarto decimo pascha habuisse. Quomodo enim tam enixe studeret demonstrare, jam tertio decimo die Dominum coenam edisse, nisi fuissent, qui hoc negantes contra affirmarent, quarto decimo demum die hoc factum esse? Quibus Clemens suam opponit sententiam, quacum omnes scripturas omniaque evangelia consentire dicit[1]. Quae verba quid significent jam ex Apolinarii fragmentis scimus. Eodem enim modo quo Apolinarius contendit Clemens Alexandrinus, suam sententiam et veteris testamenti lege et historia evangelica probari[2]. Denique non fallemur conjicientes, Clementis quoque Alexandrini adversarios e sua historiae evangelicae chronologia deduxisse, semper die decimo quarto pascha esse celebrandum.

Omnibus igitur fragmentis illis impugnantur adversarii, qui quotannis die quarto decimo pascha celebrabant, quam consuetudinem defensuri Domini nostri exemplo utebantur.

Jam vero ea quoque nobis respicienda sunt, quae Pseudo-Origenes de quibusdam die quarto decimo pascha celebrantibus memoriae tradidit. Legimus enim in libro, qui vulgo inscribitur „*Φιλοσοφούμενα* s. refutatio omnium haeresium“ VIII, 18 haec verba:

---

[1] Ebrard (*Wissenschaftl. Krit.* ed. 2, p. 943. — cf. ed. 3, p. 1207 sq.) haec verba ita vertit: „*Bei dieser genauen, richtigen Berechnung der Tage harmoniren alle Schriften mit einander (a. u. n. Test.) und (insbesondere) sind die Evv. einstimmig*“. Sed *ταύτῃ τῇ ἀκριβείᾳ* nullo modo potest absolute dictum esse.

[2] cf. Weitzel, *Passaf.* p. 61.

*Ἕτεροι δέ τινες φιλόνεικοι τὴν φύσιν, ἰδιῶται τὴν γνῶσιν, μαχιμώτεροι τὸν τρόπον, συνιστάνουσι δεῖν τὸ πάσχα τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ πρώτου μηνὸς φυλάσσειν κατὰ τὴν τοῦ νόμου διαταγήν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐμπέσῃ, ὑφορώμενοι τὸ γεγραμμένον ἐν νόμῳ, ἐπικατάρατον ἔσεσθαι τὸν μὴ φυλάξαντα οὕτως ὡς διαστέλλεται, οὐ προσέχοντες ὅτι Ἰουδαίοις ἐνομοθετεῖτο τοῖς μέλλουσι τὸ ἀληθινὸν πάσχα ἀναιρεῖν, τὸ εἰς ἔθνη χωρῆσαν καὶ πίστει νοούμενον, οὐ γράμματι νῦν τηρούμενον· οἳ μιᾷ ταύτῃ προσέχοντες ἐντολῇ οὐκ ἀφορῶσιν εἰς τὸ εἰρημένον ὑπὸ τοῦ ἀποστόλου, ὅτι διαμαρτύρομαι παντὶ περιτεμνομένῳ, ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶ τοῦ πάντα τὸν νόμον ποιῆσαι. Ἐν δὲ τοῖς ἑτέροις οὗτοι συμφωνοῦσι πρὸς πάντα τὰ τῇ ἐκκλησίᾳ ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παραδεδομένα.*

Vix quisquam dubitet, quin *οἱ φιλόνεικοι*, de quibus hic agitur, iidem sint cum adversariis Hippolyti, Apolinarii, Clementis Alexandrini. Sicut enim Hippolytus nil nisi *φιλονεικίαν* iis crimini dat et Apolinarius ignorantiam tantum vituperat, quae accusationem non admittat sed doctrina egeat, ita Pseudo-Origenes diserte testatur, eos in omnibus rebus excepta consuetudine paschali cum apostolorum traditionibus consentire. Et sicut Hippolyti, Apolinarii, Clementis Alexandrini adversarii die quarto decimo singulis annis pascha celebrare solebant, sic etiam Pseudo-Origenes refert de quibusdam diem paschatis quartum decimum diligenter observantibus. Cum autem plane non habeamus, unde hos ab illis diversos fuisse colligi possit, nostro jure statuemus, hos eosdem fuisse atque illos. Id quod etiam confirmatur, si recte statuit Lipsius[1], Hippolyti librum *πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις* fuisse fontem, e quo Pseudo-Origenes hausisset. Atque etiam magis illud confirmatur, si comprobanda est sententia eorum, qui Hippolytum et Pseudo-Origenem unum eundemque fuisse putant. Videmus autem e Pseudo-

---

[1] *Zur Quellenkritik des Epiphanios*, p. 232 al.

Origene, quartodecimanos illos ad consuetudinem suam defendendam non solum Domini exemplum, sed etiam legem Mosaicam protulisse. Etenim *κατὰ τὸν νόμον* dicit Pseudo-Origenes observasse eos quartum decimum primi mensis diem, quoniam in lege scriptum esset, *ἐπικατάρατον ἔσεσθαι τὸν μὴ φυλάξαντα οὕτως ὡς διαστέλλεται* (cf. Num. 9, 13 coll. Deut. 27, 26). Perhibebant ergo illi, etiam christianis eum diem paschalem, qui in vetere testamento esset praescriptus, observandum esse. Ceteris autem legis praeceptis obstrictos se non habebant, quare Pseudo-Origenes eos Paulinum illud monet (Gal. 5, 3): *μαρτύρομαι πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ ὅτι ὀφειλέτης ἐστὶν ὅλον τὸν νόμον ποιῆσαι.*

Sed jam quaeritur, quale tandem pascha fuerit, quod illi quotannis die quarto decimo agebant. Ac multi quidem virorum doctorum censuerunt, etiam sub finem saeculi p. Chr. n. secundi in ecclesia christiana Judaico more pascha celebratum esse. Ita ut omittam MOSHEMIUM[1], SCHROECKHIUM[2], BRETSCHNEIDERUM[3], alios perhibentes, totam et orientis et occidentis ecclesiam Victoris et Polycratis temporibus agnum paschalem more Judaico coenasse, imprimis NEANDER[4], RETTBERG[5], SCHWEGLER[6], HASSE[7], alii statuerunt, omnes Asiae minoris ecclesias etiamtum Judaeorum pascha edisse; quod de iis quidem, qui in fragmentis chronici paschalis impugnantur, quarto-

---

[1] De rebus christianorum, p. 440—444. — cf. quae contra Moshemium monuit Rettberg, *Zeitschr. f. histor. Theol.* II, 2, p. 94—104.

[2] *Kirchengesch.* III (1777), p. 52.

[3] Probabilia, p. 109.

[4] *Kirchenhistor. Archiv,* 1823, fasc. 2, p. 90—100.

[5] *Zeitschr. f. histor. Theol.* II, 2, p. 116 sq.

[6] *Montanismus,* p. 191 sqq.

[7] *Kirchengesch.* I, 89.

decimanis existimaverunt etiam WEITZEL[1], EBRARD[2], HEFELE[3], SCHOLTEN[4], RÉVILLE[5], ABT[6], SCHAFF[7], alii. Sed ante omnia est notandum, agnum quidem neutiquam christianos secundo etiam saeculo mactasse. Nam ne ipsi quidem Judaei illum etiamtum mactabant. Nusquam enim nisi in ipsa urbe sacra agnum licebat immolari[8], quare Judaei, qui, quominus Hierosolyma venirent, impediebantur, agni paschalis loco profanum aliquod assum cum azymis et herbis amaris edere solebant[9]. Deleta vero urbe sacra agnus omnino immolari non potuit neque est immolatus[10]. Tum igitur id quod antea ii tantum fecerant, qui procul ab urbe sacra morarentur, ab omnibus est receptum[11]. Quam rem respiciens jam BLEEK[12] monuit, agnum quidem paschalem Asiae minoris ecclesias nunquam edisse; at certe eam, quae tum apud Judaeos fuisset recepta, coenam secundo etiam saeculo eas habuisse. Verumtamen ne id quidem argumentis satis firmis probatur. Namque non modo Eusebius haud ejusmodi quid refert, sed ne eos quidem quartodecimanos, quorum mentio fit in fragmentis chronici paschalis et apud Pseudo-Origenem,

---

[1] *Christl. Passafeier*, p. 6 sq. 58. 73. — *Stud. u. Krit.*, 1848, p. 816. 832.
[2] *Wissensch. Krit.*, ed. 2, p. 929. 936. 940. — *Kirchengesch.* I, 123.
[3] *Conciliengesch.* I, 287. 292.
[4] *Godgel. bijdr.*, 1856, 2, p. 110.
[5] *Revue de théol.*, XIII, p. 17 (4°).
[6] *La controverse pascale*, p. 19 not. 1., p. 42.
[7] *Gesch. d. alten Kirche*, p. 316.
[8] Deut. 16, 5 sq.
[9] cf. FRIEDMANN et GRAETZ, in: *Theol. Jahrbb.* 1848, p. 354.
[10] vid. FRIEDMANN et GRAETZ, l. l. p. 338 sqq. — DERENBOURG, *Essai sur l'histoire et la géographie de la Palestine, d'après les Thalmuds et les autres sources rabbiniques*, I (1867), p. 480—483: *Le sacrifice après la destruction du temple.*
[11] FRIEDMANN et GRAETZ, l. l. p. 355.
[12] *Beiträge zur Ev.-Kr.*, p. 160 sq.

contendi potest observasse pristinum coenae morem Judaicum. Nam in Clementis quidem Alexandrini fragmentis de nulla re agitur, nisi de *τῇ τῶν ἡμερῶν ἀκριβείᾳ.* Monet enim Clemens, Dominum tertio quidem decimo die discipulos typi mysterium docuisse; hoc die interrogasse eos: Ubinam vis paremus tibi pascha edendum? hoc die consecrationem azymorum et celebrationis praeparationem factam esse; hoc die Dominum discipulorum pedes abluisse. Quarto autem decimo die Dominum supplicium passum esse; hoc die pontifices scribasque praetorium introire noluisse, ne contaminarentur neve impedirentur, quominus vespere pascha ederent. Clemens ergo nihil aliud agit, nisi ut historiae sacrae chronologiam exponat. Demonstrat enim, tertio decimo die Dominum ultimam coenam habuisse; quarto decimo autem eum mortuum esse. Contra adversarii dicebant, quarto decimo die Dominum coenam suam egisse et quinto decimo demum eum cruci affixum esse. Quare etiam se ipsos coenam suam jure meritoque die quarto decimo instituere contendebant. Hanc autem coenam Judaeorum pascha fuisse, e Clementis quidem verbis minime efficitur. — Deinde ex Apolinarii fragmentis comperimus, adversarios ab eo impugnatos contendisse, *ὅτι τῇ ιδ' τὸ πρόβατον μετὰ τῶν μαθητῶν ἔφαγεν ὁ κύριος, τῇ δὲ μεγάλῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων αὐτὸς ἔπαθεν.* Item Hippolytus adversarium ita facit loquentem: *ἐποίησε τὸ πάσχα ὁ Χριστὸς τότε τῇ ἡμέρᾳ καὶ ἔπαθεν· διὸ κἀμὲ δεῖ ὃν τρόπον ὁ κύριος ἐποίησεν οὕτω ποιεῖν.* Quae Apolinarii et Hippolyti verba id quidem docent, adversariorum sententiam fuisse, Dominum antequam morte defungeretur die quarto decimo verum legitimumque pascha, agnum et azyma, edisse. Sin vero quis contendat, eosdem inde collegisse, sibi ipsis quoque singulis annis Domino auctore *τὸ κατὰ νόμον πάσχα* observandum esse, parum caute hoc dictum esse mihi videtur. Affirmabant enim, Dominum edisse *τὸ πρόβατον.* Quod idem si faciendum sibi esse

dixissent, oportebat eos edere agnum. Hoc autem prorsus fieri non potuisse, jam supra demonstravimus. Minime enim etiam secundo saeculo agnus coenari poterat. Unde patet, verba „*διὸ κἀμὲ δεῖ ὃν τρόπον ὁ κύριος ἐποίησεν οὕτω ποιεῖν*“ non ad rem et materiam coenae, sed ad diem tantum pertinere. Observabant igitur diligenter et religiose diem quartum decimum, hoc semper die pascha suum celebrantes; ad quam consuetudinem defendendam exemplum proferebant Domini, qui idem hunc diem diligenter observasset. Dominum autem hoc die *τὸ πρόβατον* edisse, ideo tam enixe affirmabant, ne quis dubitare posset, quin Dominus revera die quarto decimo coenavisset, quippe quo die solo agnus immolari potuisset. Nihil ergo ex Apolinarii et Hippolyti verbis colligi potest, nisi adversarios Domino usos auctore religiose observasse diem quartum decimum, hoc die pascha administrantes. Utrum autem hoc pascha Judaeorum an christianorum fuerit, utrum coena a Judaeis agni loco celebrata, an sacramentum corporis et sanguinis Christi, hanc quaestionem Apolinarii et Hippolyti verba in medio relinquunt. Sed cum christiani fuerint, de quibus agitur, nostro jure statuemus, eos christiano more pascha egisse. — Quod ne Pseudo-Origenis quidem verbis refutatur. Is enim narrat, dixisse eos, *δεῖν τὸ πάσχα τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τοῦ πρώτου μηνὸς φυλάσσειν κατὰ τὴν τοῦ νόμου διαταγήν, ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐμπέσῃ*. Nonne — dicat aliquis — inde manifestum est, eos legitimum veteris testamenti pascha observasse? Minime vero. Imo ipsa quae adduntur verba: „*ἐν ᾗ ἂν ἡμέρᾳ ἐμπέσῃ*“ nos docent, de nulla re nisi de die disputari. Die igitur decimo quarto, in quemcunque, hebdomadis scilicet, diem incidebat, illi pascha agebant. Idque observabant *κατὰ τὴν τοῦ νόμου διαταγήν*, ne poenas solverent, quae omnibus hujus diei contemptoribus imminerent. Nihil tamen observabant, nisi diem. Eosdem coenam quoque Judaicam edisse, e Pseudo-

Origenis verbis non efficitur. Imo ipse testatur, eos hac una re excepta omnia ab apostolis tradita retinuisse. — Atque si quis dicat, si pascha eorum mere christianum fuisset, si igitur die quarto decimo nil nisi coenam dominicam in memoriam salutis a Christo paratae celebrassent, fieri non potuisse, ut hanc rem defendentes veteris testamenti praeceptis niterentur, contra monendum est, etiam Polycratem eandem consuetudinem tueri cum dicat: *πειθαρχεῖν δεῖ θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις*, quae verba nil aliud nisi Mosaicam de paschate celebrando legem respicere jam supra vidimus. Sic Epiphanius quoque (haer. 50, 1) quartodecimanos, quos impugnat, usos esse narrat scripturae verbis: „*ἐπικατάρατος ὃς οὐ ποιήσει τὸ πάσχα τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ μηνός.*“ Quamquam ne uno quidem verbo memorat, eos coenam egisse Judaicam; quod si fecissent, referre ac reprehendere haereseomachus ille certe non omisisset. Atqui nihil refert, nisi jejunasse eos et mysteria h. e. coenam dominicam egisse. Unde liquet, eos suum novi testamenti pascha defendentes veteris testamenti lege usos esse. Sed omnino priscis ecclesiae temporibus erat usitatissimum, ut institutiones et consuetudines christianae ad veteris testamenti praecepta referrentur. Allegorica enim quae tum usu valebat scripturae interpretatio discrimen, quod intercedit inter veteris et novi foederis instituta, prorsus fere exstinxit, ita ut quaelibet res christiana e vetere testamento repeti ac deduci ejusque praeceptis defendi ac firmari posset. Velut Athanasius aperte nos quoque obstrictos dicit lege paschali, haec monens in epistola paschali quarta decima[1]: „nunc vero praecipue

---

[1] Mai, Nov. patr. bibl. VI, 1, p. 127. — Eadem verba Larsow (*Festbriefe d. h. Athan.* p. 136) ita vertit: „*Der göttliche Ausspruch wünscht, dass wir nicht gleichgültig und unbedachtsam zum Passahfeste hinzugehen, sondern mit Bewahrung der Geheimnisse und Ueberlieferungen, wie der gesetzlichen Vorschriften.*“

necessarium est, ut vobiscum ego meminerim, scripturam sacram nolle nos simpliciter ad paschatis festum accedere, sed non sine allegoriis, traditionibus, legisque observantia.“ Eodem modo THEOPHILUS ALEXANDRINUS commentationi de paschate christiano haec inscripsit[1]: *Περὶ τοῦ κατὰ τὸν θεῖον νόμον γινομένου κατ᾽ ἐνιαυτὸν ἁγίου καὶ σωτηριώδους πάσχα.* Sic denique EPIPHANIUS (haer. 50, 3) ecclesiam omnia de paschate praecepta observare dicit, ita ut etiam agnum die decimo, sicut praescriptum sit, eligat: *λαμβάνομεν τὸ πρόβατον ἀπὸ δεκάτης, ὄνομα Ἰησοῦ ἐπιγνόντες διὰ τὸ ἰῶτα,* quae verba docent, Epiphanium praeceptum illud allegorice interpretatum existimasse, numero decimo indicari nomen Jesu, quippe quod a litera *ι′* numerum decimum significante inciperet. — Sed sufficient pauca haec exempla, quibus confirmetur, ecclesiae patres omnino judaica lege paschali de paschate christiano adhibita affirmasse, christianorum pascha revera praescribi veteris testamenti praeceptis. Quare temere quis contendat, quicunque ad consuetudinem suam defendendam veteris testamenti de paschate celebrando legem adhibuerit, eum Judaeorum pascha egisse. Imo videmus, res mere christianas confirmaturos ecclesiae patres legem illam attulisse. Nil ergo est, unde colligamus, quartodecimanos illos ab Hippolyto, Apolinario, Pseudo-Origene impugnatos Judaeorum pascha egisse. Utebantur quidem veteris testamenti praeceptis, quibus se ipsos obstrictos esse affirmabant. Sed idem ecclesiae patres orthodoxiae laude insignes fecisse modo demonstravimus; unde manifestum est, huic veteris testamenti praeceptorum observationi nihil studii Judaici inesse. Quare recte opinor statuemus, quartodecimanos illos pascha suum christianum, h. e. coenae dominicae quarto decimo die celebrationem, e vetere testamento repetiisse

---

[1] MIGNE, Patrologia graeca, t. LXV, col. 47 sq.

ejusdemque praeceptis confirmasse; Judaeorum autem coenam minime eos observasse. Quod idem recte judicaverunt Baur[1], Hilgenfeld[2], Hase[3], Steitz[4], van Leeuwen[5], Ebrard[6].

---

Cognovimus adhuc atque illustravimus et quae Eusebius de Asianorum ritu paschali memoriae tradidit et quae fragmenta chronici paschalis et Pseudo-Origenes referunt de quibusdam quarto decimo die pascha celebrantibus. Et hos et illos religiose quartum decimum paschatis diem observasse vidimus. Sed jam quaeritur, utrum iidem fuerint hi et illi necne. Weitzel enim et Steitz et qui eos secuti sunt contenderunt, catholicam quidem Asiae ecclesiam quarto decimo die memoriam mortis Christi egisse; illos autem, quos Apolinarius et Hippolytus et Pseudo-Origenes impugnaverint, quartodecimanos plus minusve Judaeorum erroribus adhaesisse, ita ut inter hos et illos accurate sit distinguendum. Sed quicunque hanc rem diligentius consideraverit, Weitzelii et Steitzii sententiam illam omnibus inveniet argumentis destitutam. Nusquam enim apud Eusebium legimus, Asianos quarto decimo die memoriam mortis Servatoris egisse. Imo si ritum eorum comparaverimus cum consuetudine ab Hippolyto et Pseudo-Origene vituperata, hanc illi videbimus omnibus numeris respondere. Utrique diem quartum decimum eumque solum sollemniter celebrabant; utrique hoc die coenam dominicam administrabant, quae quidem coenae dominicae administratio caput et summa erat celebrationis; utrique hujus diei observationem e vetere testamento repetebant; utrique

[1] *Theol. Jahrbb.* 1844, p. 646 sq. not. — *Kanon. Evv.* p. 336. — *Die drei ersten Jahrhh.* p. 158.
[2] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 230 not., p. 233.
[3] *Tüb. Schule,* p. 43.
[4] *Stud. u. Krit.* 1857, p. 764.
[5] De sacris paschalibus, p. 139 sq.
[6] *Wissenschaftl. Krit.* ed. 3, p. 1204, 1207.

denique consuetudinis suae testem et auctorem Dominum afferebant, quippe qui ipse hoc die coenam suam peregisset. Hoc enim significatur verbis illis „*κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*“, quae in Polycratis epistola[1] legimus. Ex Apolinario enim comperimus, quartodecimanos dixisse, Dominum quarto decimo die agnum cum discipulis edisse, eosque hujus sententiae auctorem Matthaeum citasse. Sequebantur igitur Domini exemplum, qui Matthaeo auctore quarto decimo die coenasset. Quare cum Polycrates dicat, consuetudinem suam revera esse *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*, quis est qui haec verba negaverit idem significare quod illa ab Apolinario relata? Sive enim illud „*τὸ εὐαγγέλιον*“ Matthaeum solum respicit, sive, quod mihi quidem magis arridet, omnia evangelia, certe Polycrates his verbis indicavit, Asianorum ritum praeclare cum historia evangelica consentire, quippe quae Dominum referat coenam suam egisse die quarto decimo. Quo modo recte haec verba interpretati sunt NEANDER[2], WIESELER[3], HILGENFELD[4], VAN LEEUWEN[5], MATTHES[6], EBRARD[7], DAVIDSON[8]. Fortasse autem Polycrates etiam illud Domini mandatum respexit, quod Luc. 22, 19 et I Cor. 11, 24 legimus: *τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν*[9]. Quod si revera fecit, ita hae verba interpretatus est, ac si dictum esset, eodem semper die, nempe quarto decimo, coenam Domini esse celebrandam. Utut autem haec res se habet, hoc quidem certum est, et Polycratem et quartodecimanos ab Apolinario impugnatos Dominum consuetudinis suae auctorem attulisse. Cui minime repugnat

1 Euseb. H. E. V, 24, 6.
2 *Kirchenhistor. Archiv*, 1823, fasc. 2, p. 96.
3 REUTER's *Repertorium*, vol. 64, p. 129.
4 *Paschastreit*, p. 295.
5 De sacris paschalibus, p. 105.
6 *De ouderdom van het Johannesev.*, p. 120.
7 *Wissenschaftl. Krit.* ed. 3, p. 1191.
8 *Introduction*, II, 412. 416.
9 vid. MATTHES l. l.

id quod supra judicavimus, Asianos diem suum paschalem instituisse non ad historiae evangelicae chronologiam, sed ad veteris testamenti legem. Neque enim id e Polycratis et Apolinarii verbis colligi potest, quartodecimanos celebrationem suam instituisse in memoriam ultimae Jesu Christi coenae, sed id tantum, eos, cum jam controversia inter ipsos ceterosque esset exorta, Domini exemplum protulisse, quippe qui ipsorum consuetudinis nobilissimus esset auctor ac defensor.

Ex iis quae modo exposuimus manifestum est, Asianorum usum paschalem omni modo congruere cum consuetudine eorum, qui in fragmentis chronici paschalis impugnantur. Sed praeterea etiam gravibus argumentis probatur, Apolinarii, Clementis, Hippolyti, Pseudo-Origenis adversarios revera fuisse Asiae minoris episcopos ecclesiasque. Id enim minime nos offendet, quod Hippolytus et Pseudo-Origenes mentionem eorum faciunt in libris *πρὸς ἁπάσας τὰς αἱρέσεις* scriptis. Uterque enim Romanae ecclesiae causam defendit, quae Victore episcopo Asiae minoris ecclesias heterodoxas declaratas ex ecclesiarum communione ejecerat[1]. Nec magis nos offendet, quod Pseudo-Origenes de nonnullis tantum adversariis (*ἕτεροι δέ τινες κ. τ. λ.*) videtur referre. Ex his enim verbis minime, id quod Steitz[2] judicavit, efficitur, Pseudo-Origenis adversarios non fuisse Asiae ecclesias. Etenim, cum hae comparabantur cum ceteris orbis terrarum ecclesiis, sane paucae erant; et omnino, quod recte monuerunt Baur[3], Hilgenfeld[4], Davidson[5], adversarius adversarium describere solet quam potest levissimum. Denique neque hoc sententiam nostram refellit, quod Pseudo-Origenes

[1] Euseb. H. E. V, 24, 9. — Cf. van Leeuwen, l. l. p. 65 sq.

[2] *Stud. u. Krit.* 1856, p. 783 sq. — 1857, p. 775 sq. — 1859, p. 718 not.

[3] *Theol. Jahrbb.* 1857, p. 251.

[4] *Zeitschr.* 1858, p. 155 sq. — *Paschastreit,* p. 256. 282 sq. 404.

[5] *Introduction,* II, 411 sq.

adversarios suos *φιλονείκους τὴν φύσιν, ἰδιώτας τὴν γνῶσιν, μαχιμωτέρους τὸν τρόπον* appellat; simili enim modo Irenaeus[1] Asianorum consuetudinem „*τὴν καθ' ἁπλότητα καὶ ἰδιωτισμὸν συνήθειαν*“ nominat. Ipse autem Pseudo-Origenes adversarios una excepta consuetudine paschali cum omnibus testatur traditionibus apostolorum consentire; sicut Apolinarius nihil nisi *ἄγνοιαν* iis crimini dat. — Sed jam exponenda sunt nobis argumenta illa, quibus Apolinarii, Clementis, Hippolyti adversarios vere catholicas Asiae ecclesias fuisse confirmatur. Sunt autem haec.

1. Apud Eusebium[2] legimus, Melitonem, episcopum Sardensem, quem Polycrates[3] inter Asianae consuetudinis auctores refert, de paschate librum conscripsisse; quod ut faceret commotus est contentione aliqua tum temporis Laodiceae exorta. Quo quidem libro quin Melito suae, Asianae, ecclesiae defenderit consuetudinem nemo credo dubitet. Quare cum Clementem Alexandrinum accipiamus hoc Melitonis libro commotum de eodem paschate librum composuisse[4], plane constare mihi videtur, Clementem suo quidem libro Asianorum ritum impugnasse. Nam si Melitonis libro commotus (*ἐξ αἰτίας τῆς τοῦ Μελίτωνος γραφῆς*) suum librum conscripsit, hunc certe contra Melitonem atque eos edidit, qui eandem ac Melito sequebantur consuetudinem; id quod recte statuerunt Rettberg[5], Wieseler[6], Hilgenfeld[7], Baur[8], van Leeuwen[9], Scholten[10], Ebrard[11].

---

[1] Euseb. H. E. V, 24, 13.
[2] H. E. IV, 26, 1 sqq.
[3] Euseb. H. E. V, 24, 5.
[4] Euseb. H. E. IV, 26, 4.
[5] *Zeitschr. f. hist. Th.* II, 2, p. 116.
[6] Reuter's *Repertorium*, vol. 64, p. 123.
[7] *Theol. Jahrbb.* 1849, p. 243. — *Paschastr.* p. 253.
[8] *Die drei ersten Jahrhh.*, p. 157.
[9] De sacris pasch., p. 64.
[10] *Het ev. n. Joh.*, p. 417.
[11] *Wissenschaftl. Krit.*, ed. 3., p. 1201 sq.

Quod enim WEITZEL[1], HEFELE[2], STEITZ[3] monuerunt, his verbis nil indicari, nisi Clementem Melitonis librum respexisse atque complevisse, parum est verisimile. Clemens igitur in libro, quem de paschate scripsit, catholicam Asiae ecclesiam impugnavit. Hujus autem libri fragmenta habemus in chronico paschali. Unde patet, adversarios in his fragmentis reprehensos ecclesias esse Asianas.

2. Deinde WEITZEL et STEITZ et qui eorum vestigiis ingressi sunt contenderunt, quartodecimanos, quos Apolinarius oppugnet, ideo non esse catholicas Asiae ecclesias, quia ipse Apolinarius, episcopus Hierapolitanus, Asianorum usum defenderit. Nam verba ejus, quae in chronico paschali legantur, indicare, eum ipsum diem quartum decimum magni aestimasse diligenterque observasse. Quamobrem cum ipse sit adnumerandus Asianae consuetudinis defensoribus, adversarios ejus minime esse catholicas Asiae ecclesias, sed homines haereticos eosque Judaicis erroribus obstrictos. Sed minime ex Apolinarii, quae in chronico paschali leguntur, verbis efficitur, observasse eum diem quartum decimum. Ipse enim de hoc die non aliter loquitur atque Clemens et Hippolytus, quos Asianae consuetudinis defensoribus adscribere nemini adhuc in mentem venit[4]. Eum autem profecto cum occidentalibus stetisse, inde efficitur, quod Polycrates in quartodecimanorum catalogo suo mentionem ejus non facit. Enumerat enim in epistola ad Victorem data[5] eos qui ante se quartum decimum diem obser-

---

[1] *Die christl. Passaf.*, p. 26. 74.

[2] *Conciliengesch.*, I, 299.

[3] *Stud. u. Krit.*, 1856, p. 778. — HERZOG, *Real-Enc.*, XI, 157.

[4] Hippolytum et Clementem ab occidentalibus stetisse, ipse WEITZEL concedit, vid. *d. christl. Passaf.*, p. 64. — cf. etiam SCHNEIDER, *d. Aechtheit des joh. Ev.*, p. 58. — ABT, *La controverse pascale*, p. 47: „*Nous admettons volontiers que cet évêque (Hippolyte) était partisan de la coutume romaine.*“

[5] Euseb. H. E. V, 24, 2 sqq.

vaverint: Joannem et Philippum apostolos, Polycarpum Smyrnensem et Thraseam, Sagarem et Papirium et Melitonem Sardensem. Apolinarii autem nomen deest. Atqui quomodo apologetam celeberrimum omittere potuit si ab ipsius parte stetisset? Nullo modo fieri hoc potuit. Unde apparet, Apolinarium occidentalem usum secutum eamque ob causam a Polycrate omissum esse; id quod recte BAUR[1], WIESELER[2], HILGENFELD[3], VAN LEEUWEN[4], SCHOLTEN[5] judicaverunt. Cum igitur Apolinarius cum occidentalibus steterit, non est, unde colligamus, eos, quos oppugnaverit, quartodecimanos a catholicis quartodecimanis fuisse diversos. Quare recte opinor statuemus, illos revera fuisse Asiae episcopos atque ecclesias. — Sane si Apolinarius, episcopus Hierapolitanus, usum secutus est occidentalem, liquet, episcopos Asianos non ad unum omnes suae ecclesiae ritum defendisse. Quocum minime discrepat, quod Eusebius narrat[6], totius Asiae ecclesias diem quartum decimum observasse. Licet enim in universum ecclesiarum Asianarum fuerit, hunc diem observare, tamen hic et ille decedere potuit a ceterorum consuetudine.

3. Gravissimum denique argumentum, quo eos, qui in fragmentis chronici paschalis oppugnantur, quartodecimanos vere catholicas Asiae ecclesias fuisse probatur, ex EUSEBII de paschate libro[7] petendum est, quem miror plane adhuc fugisse virorum doctorum scientiam. Cum autem hunc librum paucis ad manum esse opiner, ea ejus capita, quae ad nostram rem dijudicandam plurimum puto valere, hic integra exscribo.

---

[1] *Theol. Jahrbb.*, 1848, p. 278.
[2] REUTER's *Repertorium*, vol. 64, p. 127.
[3] *Theol. Jahrbb.*, 1849, p. 243. 249 sq. — 1857, p. 527. — *Paschastr.*, p. 255. 256. 274. — *Zeitschr.*, 1861, p. 308 sq.
[4] De sacris paschalibus, p. 55.
[5] *Het ev. naar Joh.*, p. 16. 415.
[6] H. E. V, 23, 1.
[7] MAI, Nov. patr. bibl. IV, 209—216.

## *Εὐσεβίου Καισαρείας*
## *Περὶ τῆς τοῦ πάσχα ἑορτῆς.*

8. *Πλὴν*[1] *τοῦ θεοφιλεστάτου βασιλέως μέσου τῆς ἁγίας συνόδου προκαθεζομένου, ὡς ἤχθη εἰς μέσον τὸ περὶ τοῦ πάσχα ζήτημα, ἐλέγετο μὲν ὅσα καὶ ἐλέγετο· ἐπλεονέκτει δὲ τῷ πλήθει τῶν ἐπισκόπων ἡ τριπλασίων μοῖρα τῆς ὅλης οἰκουμένης ἑτέρωθεν ἀντιτείνουσα τοῖς τῆς ἀνατολῆς· ἀρκτῷα γὰρ ὁμοῦ καὶ μεσημβρινὰ καὶ τὰ κατὰ δύοντα ἥλιον ἔθνη τῇ συμφωνίᾳ φραξάμενα τὴν ἐναντίαν ἀνθεῖλκε τοῖς τῆς ἑῴας τὴν παλαιὰν διεκδικοῦσι συνήθειαν· τέλος δὲ λόγου εἶξαν οἱ ἀνατολικοί· καὶ οὕτω μία Χριστοῦ γέγονεν ἑορτή· καὶ οὕτω τῶν μὲν κυριοκτόνων ἀπέστησαν, τοῖς δὲ ὁμοδόξοις συνήφθησαν· ἡ φύσις γὰρ ἕλκει τὰ ὅμοια πρὸς τὰ ὅμοια· εἰ δέ τις εἴποι ὡς ἄρα γέγραπται*[2]*, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων προσελθόντες οἱ μαθηταὶ εἶπον τῷ σωτῆρι, ποῦ θέλεις ἑτοιμάσομέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; ὁ δὲ πρὸς τὸν δεῖνα ἀπέστειλε παραγγείλας εἰπεῖν, πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα, ἐροῦμεν ὅτι τοῦτο παράγγελμα οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἱστορία πράγματος συμβεβηκότος κατὰ τὸν τοῦ σωτηρίου πάθους καιρόν· ἕτερον δέ ἐστιν τὸ παλαιὰν πρᾶξιν διηγεῖσθαι, καὶ ἕτερον τὸ νομοθετεῖν καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα παραγγελίας καταλιμπάνειν.*

9. *Ἀλλὰ καὶ ὁ σωτὴρ οὐ μετὰ Ἰουδαίων ἐπετέλεσε τὸ πάσχα κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ ἰδίου πάθους· οὐ γὰρ ὅτε ἔθυον ἐκεῖνοι τὸ πρόβατον, τότε καὶ αὐτὸς μετὰ τῶν αὐτοῦ μαθητῶν τὸ ἑαυτοῦ ἤγαγε πάσχα· οἱ μὲν γὰρ κατὰ τὴν παρασκευὴν ἐν ᾗ πέπονθεν ὁ σωτὴρ τοῦτ' ἔπραττον· ὅθεν οὐδὲ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἀλλ' ὁ Πιλάτος πρὸς αὐτοὺς ἔξεισιν· αὐτὸς δὲ πρὸ ὅλης ἡμέρας τῇ πέμπτῃ τοῦ σαββάτου τοῖς μαθηταῖς συνανέκειτο καὶ συνεσθίων αὐτοῖς ἔλεγεν, ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν· ὁρᾷς ὅπως ὁ σωτὴρ οὐ μετὰ Ἰουδαίων τὸ πάσχα ἤσθιεν; ἐπειδὴ καινὸν ἦν ἐκεῖνο καὶ ξενίζον παρὰ τὰ συνήθη καὶ ἰουδαϊκὰ ἔθη, ἀναγκαίως*

---

[1] = autem.
[2] Matth. 26, 17 sq.

ἐπέστησεν εἰπὼν[1], ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν· τὰ μὲν γὰρ παλαιὰ ἤθη ὄντα καὶ πεπαλαιωμένα, ἃ δὴ μετὰ Ἰουδαιων ἤσθιεν, οὐκ ἦν ἐπιθυμητά· τὸ δὲ καινὸν μυστήριον τῆς καινῆς αὐτοῦ διαθήκης, ὃ δὴ μετεδίδου τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς, ἐπιθυμητὸν ἦν αὐτῷ εἰκότως· ἐπεὶ πολλοὶ πρὸ αὐτοῦ προφῆται καὶ δίκαιοι ἐπεθύμησαν ἰδεῖν τὰ τῆς νέας διαθήκης μυστήρια· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ λόγος πάντοτε διψῶν τὴν κοινὴν σωτηρίαν μυστήριον παρεδίδου, δι' οὗ πάντες ἄνθρωποι ἔμελλον ἑορτάζειν· ἐπιθυμητὸν τοῦτο αὐτῷ εἶναι ὡμολόγησε· τὸ μὲν Μωϋσέως πάσχα οὐχ ἥρμοζε πᾶσι τοῖς πότε ἔθνεσι· πῶς γάρ; ὁπότε ὑφ' ἕνα τόπον τὸν ἐν τῇ Ἱερουσαλὴμ τελεῖσθαι νενομοθέτητο· διὸ οὐκ ἦν ἐπιθυμητόν· τὸ δὲ σωτήριον μυστήριον τῆς καινῆς διαθήκης πᾶσιν ἀνθρώποις ἁρμόζον εἰκότως αὐτῷ ἐπιθυμητὸν ἦν.

10. Ἀλλ' αὐτὸς μὲν πρὸ τοῦ παθεῖν σὺν τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἔφαγε τὸ πάσχα καὶ τὴν ἑορτὴν ἐπετέλεσεν, οὐ μετὰ τῶν Ἰουδαίων· ἑορτάσαντος δὲ αὐτοῦ ἑσπέρας οἱ ἀρχιερεῖς ἅμα τῷ προδότῃ ἐπιστάντες ἐπέβαλον ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας· οὐ γὰρ ἤσθιον αὐτοὶ κατὰ τὴν ἑσπέραν τὸ πάσχα· ἦ γὰρ ἂν τὴν σχολὴν περὶ αὐτὸν εἶχον· καὶ δῆτα συλλαβόντες ἀπήγαγον εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ Καϊάφα, ἔνθα διανυκτερεύσαντες, ὡς ἡμέρα ἐγένετο, συνήχθησαν καὶ ἀνακρίνουσιν αὐτὸν πρότερον· εἶτα μετὰ ταῦτα ἀναστάντες ἅμα τῷ πλήθει ἤγαγον αὐτὸν πρὸς Πιλάτον· καὶ τότε φησὶν ἡ γραφὴ[2] ὅτι μὴ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα δὴ μὴ ὑπὸ στέγην ἑλληνικὴν εἰσελθόντες, ὥς γε ᾤοντο, μιανθῶσι, καθαροὶ δὲ μείναντες οἱ παμμιαροὶ ἑσπέρας ἐπιστάσης φάγοιεν τὸ πάσχα, οἱ τὸν κώνωπα διυλίζοντες, τὴν δὲ κάμηλον καταπίνοντες[3], οἱ τὰς ψυχὰς αὐτοῖς σώμασι κατὰ τοῦ σωτῆρος μιαιφονίᾳ μεμιαμμένοι, τὸν ὄροφον ἐδεδίεσαν ὑπεισελθεῖν· ἀλλ' οἱ μὲν κατ' αὐτὴν ἐκείνην τοῦ πάθους τὴν ἡμέραν τὸ λυμαντικὸν τῆς ἑαυτῶν ψυχῆς ἔφαγον πάσχα, τὸ αἷμα τὸ σωτήριον οὐχ ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀλλὰ καθ' ἑαυτῶν

---

[1] Luc. 22, 15.
[2] Joh. 18, 28.
[3] Matth. 23, 24.

*ἐξαιτησάμενοι· ὁ δ' ἡμέτερος σωτὴρ οὐ τότε, πρὸ ἡμέρας δὲ ἀνακείμενος μετὰ τῶν μαθητῶν τὴν ἐπιθυμητικὴν ἑαυτῷ ἑορτὴν ἦγεν.*

Videmus, Eusebium his verbis primum quidem de synodo Nicaena referre, in qua Asiae minoris ecclesiae ceterarum ecclesiarum auctoritate commotae a suo paschatis celebrandi more destiterint ceterarumque receperint consuetudinem. Quo narrato Eusebius inde a verbis „*εἰ δέ τις εἴποι*“ disputare incipit cum quibusdam, qui de paschate Domini non eandem atque ipse tuebantur sententiam. Hi autem adversarii quis est qui dubitet quin Asiani fuerint episcopi atque ecclesiae? De nulla enim re verbis antecedentibus agebatur, nisi de duabus quae Nicaeae de paschate disputaverant partibus atque de sacrosanctae synodi decreto, quo Asianorum consuetudinem statutum erat relinquendam esse. Quare cum dehinc statim Eusebius pergat „*εἰ δέ τις εἴποι κ. τ. λ.*“, luce est clarius, eum his verbis id agere, ut Nicaeni decreti adversariis demonstret, quantopere sententia eorum omnibus argumentis sit destituta. Respicit igitur atque impugnat his quae sequuntur verbis Asianae ecclesiae sententiam et consuetudinem. — Hanc autem sententiam unusquisque videt prorsus eandem esse atque eam, quam Apolinarius, Clemens, Hippolytus reprehendunt. Nam primum quidem ex Eusebii verbis apertum est, adversarios dixisse, Dominum, antequam mortem subiret, coenam paschalem egisse cum Judaeis. Ipse enim Eusebius etiam atque etiam negat, Dominum *μετὰ Ἰουδαίων* coenasse (c. 9: „*οὐ μετὰ Ἰουδαίων ἐπετέλεσε τὸ πάσχα κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ ἰδίου πάθους.*“ ibid: „*οὐ μετὰ Ἰουδαίων τὸ πάσχα ἤσθιεν.*“ c. 10: „*οὐ μετὰ τῶν Ἰουδαίων.*“); unde patet, adversarios hoc idem, quod ille negat, affirmasse. Quo eodem modo Hippolyti, Apolinarii, Clementis adversarii contendebant, Dominum *τὸ κατὰ νόμον πάσχα* (Hippol.), *τὸ πρόβατον* (Apol.), *τὸ θυόμενον πρὸς Ἰουδαίων πάσχα* (Clem.) edisse. Et sicut Eusebii adversarii hujus sententiae auctorem Matthaeum

afferebant — verba enim „τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τῶν ἀζύμων προσελθόντες οἱ μαθηταὶ εἶπον τῷ σωτῆρι, ποῦ θέλεις ἑτοιμάσομέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; ὁ δὲ πρὸς τὸν δεῖνα ἀπέστειλε παραγγείλας εἰπεῖν, πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα“ e Matthaeo (26, 17 sq.) sunt repetita —, ita etiam Apolinarii adversarios Matthaeo nisos esse scimus („διηγοῦνται Ματθαῖον οὕτω λέγειν ὡς νενοήκασιν“). — Deinde autem ex Eusebii verbis apparet, adversarios inde collegisse, sibi ipsis quoque diem quartum decimum esse observandum. Hoc enim his ejus verbis probatur (c. 8.): εἰ δέ τις εἴποι κ. τ. λ., ἐροῦμεν ὅτι τοῦτο παράγγελμα οὐκ ἔστιν, ἀλλ' ἱστορία πράγματος συμβεβηκότος κατὰ τὸν τοῦ σωτηρίου πάθους καιρόν· ἕτερον δέ ἐστιν τὸ παλαιὰν πρᾶξιν διηγεῖσθαι, καὶ ἕτερον τὸ νομοθετεῖν καὶ τοῖς μετὰ ταῦτα παραγγελίας καταλιμπάνειν. Quae verba docent, adversarios dixisse, quia Dominus die quarto decimo pascha egisset, ideo sibi ipsis quoque hunc diem esse celebrandum. Quare Eusebius monet, hoc esse historiam, neque mandatum; aliud enim esse referre historiam, aliud edere mandata. Atque eodem modo etiam Hippolyti adversarii contendebant: ἐποίησε τὸ πάσχα ὁ Χριστὸς τότε τῇ ἡμέρᾳ καὶ ἔπαθεν· διὸ κἀμὲ δεῖ ὃν τρόπον ὁ κύριος ἐποίησεν, οὕτω ποιεῖν. — Denique Eusebius ipse hanc adversariorum consuetudinem simili modo quo Hippolytus, Apolinarius, Clemens impugnat. Etenim et hi et ille monent, Judaeorum pascha minime eodem die esse peractum, quo Dominus suam instituerit coenam; sed sequente potius die illud factum esse, quo Dominus cruci sit affixus. Quare Dominum non Judaeorum sed suum novi testamenti pascha habuisse, neque eodem cum Judaeis die, sed ante hunc diem; ita ut adversariorum consuetudo fundamento careat quo nitatur. Qua in re hoc quoque bene est animadvertendum, Eusebium suam defendentem sententiam eodem uti loco Joanneo, quem etiam Clemens Alexandrinus adhibet, locum dico (Joh. 18, 28): „καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν ἀλλ' ἵνα φάγωσιν

*τὸ πάσχα*", e quibus verbis uterque demonstrat effici, Judaeos hujus demum diei vespere pascha edisse, neque, id quod adversarii contendebant, die praecedente. Quae si diligenter perpenderis, facere non poteris, quin Eusebium agnoscas hunc librum scribentem usum esse Clementis de paschate libro, quem cognovisse quidem eum ex aliis ipsius verbis manifestum est[1]. Quod si recte se habet, novo argumento confirmatur quod judicavimus, Clementem atque Eusebium eosdem respicere adversarios. Hoc autem sic quoque ante omnium oculos est, ita ut negari non possit; nec magis id potest negari, quod ex Eusebio apparet, adversarios illos esse catholicas Asiae ecclesias.

4. Eosdem adversarios ATHANASIUS respicit his verbis, quibus Epiphanium adhortatur, ut contra quartodecimanos pugnare desinat[2]:

*Οὐκοῦν ὥσπερ συνήθλησας καὶ συνεχάρης, οὕτω καὶ τοῦ μέμφεσθαι παῦσαι, καὶ μᾶλλον εὖχου ἵνα τοῦ λοιποῦ ἡ μὲν ἐκκλησία βεβαίαν τὴν εἰρήνην ἔχῃ, καὶ παύσονται αἱ αἱρέσεις τῆς μιαιφόνου προαιρέσεως, παύσονται δὲ καὶ οὗτοι φιλονεικοῦντες οἱ ἐφευρόντες ἑαυτοῖς ζητήματα, προφάσει μὲν τοῦ σωτηριώδους πάσχα, ἔργῳ δὲ τῆς ἰδίας ἔριδος χάριν μάλιστα, ὅτι ἐξ ἡμῶν εἶναι δοκοῦντες καὶ χριστιανοὶ αὐχοῦντες λέγεσθαι ζηλοῦσι τὰ τῶν προδεδωκότων Ἰουδαίων. ὁποία γὰρ αὐτοῖς καὶ πιθανὴ ἀπολογία γένοιτ' ἂν ἄρα, ἐπειδὴ γέγραπται, „τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων καὶ ἐν ᾗ ἔδει θύειν τὸ πάσχα." ἀλλ' ἐγίνετο τότε καλῶς, νῦν δὲ κατὰ τὸ γεγραμμένον ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ.*

Apparet, Athanasium hic loqui de quibusdam, qui christianum quidem pascha celebrabant, sed eodem die atque Judaei. Dicit enim, eos contentiones movere *προφάσει μὲν τοῦ σωτηριώδους πάσχα*, revera autem mores Judaicos imitatos (*τὰ τῶν Ἰου-*

---

[1] H. E. IV, 26, 4. VI, 13, 9.
[2] Chron. pasch. ed. DINDORF, I, 9.

*δαίων ζηλοῦσι).* Quae verba docent, eos quidem affirmasse, pascha suum mere esse christianum; Athanasium vero judicasse, idem nimis se applicare ad consuetudinem Judaicam. Unde patet, pascha eorum partim — quod ad rem — fuisse christianum, partim — quod ad diem — Judaicum. Eosdem autem consuetudinis suae auctorem ipsum Dominum nostrum protulisse, ex eo efficitur, quod Athanasius Epiphanio suadens, ut certare desinat, quo citius reditura sit ecclesiae pax, argumentis dicit illos moveri non posse, quandoquidem scriptum sit „*τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων καὶ ἐν ᾗ ἔδει θύειν τὸ πάσχα*“ (Mt. 26, 17 coll. Luc. 22, 7). Hoc igitur loco probabant illi, Dominum pascha egisse die quarto decimo; quare eundem diem ipsis esse observandum. Viden, hos Athanasii adversarios eosdem esse atque Hippolyti, Apolinarii, ceterorum; neque Athanasium aliud quartodecimanorum genus nosse atque id, quod illi impugnaverint. Athanasii autem temporibus consuetudo Asiana jam Nicaenae synodi decreto erat damnata, quare ille jam vehementius reprehendit eos, qui ne tunc quidem reliquerint illam consuetudinem.

5. Eadem denique consuetudo reprehensa est in libro veteris cujusdam auctoris, de quo Photius[1] haec refert:

*Ἀνεγνώσθη βιβλίον ἀνώνυμον, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ „λόγος πρὸς Ἰουδαίους καὶ τοὺς μετὰ τούτων αἱρετικοὺς καὶ τοὺς καλουμένους τεσσαρεσκαιδεκατίτας, μὴ τῷ πρώτῳ καθ᾿ Ἑβραίους μηνὶ ἐπιτελοῦντας τοῦ ἁγίου πάσχα τὴν ἑορτήν“ [2]. οὗτος μὲν ὁ λόγος σύντομος καὶ ἀπέριττος καὶ κόμπου μετέχων, λέγει μέντοι τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν πάσχα*

---

[1] Bibliotheca, cod. 115. ed. Bekker, p. 91.

[2] His verbis idem videtur indicari, quod a Petro Alexandrino (Chron. pasch. ed. Dind. 1, 6 sqq.) Judaeis suae aetatis crimini datur, eos amissa recta constituendi diei paschalis ratione saepe alio atque praescriptum sit tempore pascha celebrare.

*τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν· μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρόν, ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ. καὶ ὅτι οὐδὲ νομικῶς τελῶν ἔφαγεν, ἅπερ ἔφαγεν, εἰς τὴν ἐπιοῦσαν· οὔτε γὰρ ἀρνὸν οὔτε ἄζυμα οὔτε ἄλλο τι πράττων, ὅσα οἱ τὸν ομικὸν τελοῦντες πάσχα ἔθος ἔχουσι παραφυλάττειν· ἀλλ' ἴδιον μυστικόν φησι δεῖπνον φαγεῖν, ἐξ οὗ καὶ τοῖς μαθηταῖς ἄρτον καὶ ποτηρίον μεταδοῦναι.*

Vides hoc libro impugnatos esse quartodecimanos, qui Dominum dicerent passionis suae tempore legitimum edisse Judaeorum pascha, idque die legitimo, quarto decimo. Quare ille monuit, Judaeorum pascha minime eo die, quo Dominus coenavisset, celebratum esse, sed insequente die, cum Dominus mortis poenam luisset. Ex quo effici, Dominum neque legitimum neque legitimo die celebrasse pascha, sed mysticam suam coenam, eamque antequam Judaei suum pararent pascha. Etiam hi igitur quartodecimani consuetudinem suam defendentes Domini exemplum proferebant. Unde colligere licebit, hanc ipsam consuetudinem eandem fuisse atque eam, quae jam satis nobis est cognita.

Omnino autem nunc animadvertas, nusquam nos invenisse aliud quartodecimanorum genus atque id, quod jam Apolinarius, Clemens, Hippolytus in libris suis respexerunt. Quaecunque enim ex Eusebii de paschate libro, ex Athanasii epistola, denique e commentatione illa incerti auctoris a Photio memorata de quartodecimanorum ritus natura cognovimus, prorsus eadem sunt atque ea, quae Apolinarius, Clemens, Hippolytus referunt; quibuscum ea quoque optime consentiunt, quae Eusebius in historia ecclesiastica de Asianorum consuetudine memoriae tradidit. Has autem ecclesias Asiae catholicas revera eandem defendisse consuetudinem, quam Apolinarius, Clemens, Hippolytus impugnaverunt, cum ex aliis tum ex Eusebii de paschate libro manifestum esse demonstratum est. Videmus

igitur, dilucidis fontium relationibus refelli id quod WEITZEL, STEITZ, alii statuerunt, quartodecimanos illos ab Apolinario, Clemente, Hippolyto impugnatos fuisse homines haereticos, quos inter atque catholicas Asiae ecclesias accurate esset distinguendum. Imo ex Eusebii verbis apparet, eosdem esse hos atque illos.

---

Jam vero quaeritur, quibusnam argumentis illi sententiam suam munierint. Dicunt autem, Asianas quidem ecclesias, de quibus Eusebius in historia ecclesiastica referat, diem decimum quartum celebrasse in memoriam mortis Christi; quartodecimanos autem, quos Apolinarius et ceteri impugnaverint, contendisse, Dominum die decimo quarto pascha celebrasse eumque e vita egressum esse die decimo quinto. Quare die quarto decimo minime eosdem agere potuisse mortis Domini memoriam. Unde apertum esse, hos ab illis plane esse diversos. Qua in re hoc quidem verum est, quartodecimanos illos ab Apolinario ceterisque impugnatos existimasse, Dominum die quarto decimo coenam suam egisse; ita ut, si Asiani statuissent, Dominum hoc die mortuum esse, sane inter hos atque illos esset distinguendum. Sed id ipsum, statuisse ecclesias Asianas, Dominum die quarto decimo mortuum esse, fontium locis minime potest confirmari. Argumenta enim, quae WEITZEL, STEITZ, alii attulerunt, plane nullius momenti sunt.

1. Atque WEITZEL quidem monuit[1], Asianorum pascha fuisse Eusebio auctore[2] *πάσχα σωτήριον*, h. e. pascha Servatoris, vel quod in Servatoris memoriam celebratum sit, pascha igitur mere christianum. Hoc autem haec duo solum comprehendere, et mortem et resurrectionem Christi. Cum autem

---

[1] *Die christl. Passaf.* p. 105 sqq., impr. p. 109.
[2] H. E. V, 23, 1.

resurrectionis memoriam die quarto decimo celebrare Asiani non potuerint, sequi, eos hoc die memoriam mortis Christi egisse statuentes Dominum hoc die cruci esse affixum. Sed ut omittam, in verbis Eusebii „ἐπὶ τῆς τοῦ πάσχα σωτηρίου ἑορτῆς" vocabulum „σωτηρίου" non ad „πάσχα" sed ad „ἑορτῆς" pertinere[1], haec Weitzelii argumentatio minime est idonea, quae nostram refellat sententiam. Etenim pascha christianum haec duo tantum continere, mortem et resurrectionem, Weitzel contendit quidem, sed non probavit. Contra nos vidimus, vocabulum *πάσχα* christiano sensu etiam de coena Domini adhibitum esse, ita ut sollemne anniversarium, quo haec potissimum coena celebrabatur, certe *πάσχα σωτήριον* vel *ἑορτὴ σωτήριος* posset nominari. Nam salutaris erat coena ac Servatoris memoria in ea agebatur.

2. Neque plus valet, quod Weitzel[2] et qui eum secuti sunt Mayer[3], Scholten[4], Réville[5], Abt[6], Meyer[7] contenderunt, verba Polycratis dicentis, se suosque observare quartum decimum diem *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον*[8], respicere ad evangelium Joannis, quod Dominum quarto decimo die crucifixum esse referat; unde Asianos apparere hoc die memoriam mortis Christi egisse. Haec enim verba quomodo sint interpretanda, supra jam demonstratum est; nec jam est, cur amplius de iis disputemus.

3. Ritschl[9] et Steitz[10] censuerunt, cum Asiani quarto

---

[1] nam „τὸ πάσχα σωτήριον" dicere grammatica nos vetat; cf. etiam Hilgenfeld, *Paschastreit*, p. 293 not. 2.
[2] *Christl. Passaf.* p. 104 sq. 110.
[3] *Die Aechtheit d. Ev. nach Joh.* p. 398.
[4] *Godgel. bijdr.*, 1856, p. 115.
[5] *Revue de théol.* vol. XIII, p. 20.
[6] *La controverse pasc.* p. 28. 58.
[7] *Ev. Joh.* ed. 5. p. 22 sq.
[8] Euseb. H. E. V, 24, 6.
[9] *Entstehung d. altkath. Kirche*, ed. 2., p. 269.
[10] *Stud. u. Krit.* 1856, p. 773. — Herzog, *RE.* XI, 156.

decimo die jejunium solverint, sequi, eos hunc diem in memoriam mortis Jesu Christi celebrasse. Jejunando enim semper indicari tristitiam, solvendo autem jejunium tristitiae finem. Cum igitur Asiani die quarto decimo jejunium solverint, manifestum esse, eos hoc die statuisse Dominum omnibus malis et laboribus perfunctum e vita esse egressum. Sed minime verum est, quod illi putant neque probant, Asianos non aliam ob causam potuisse jejunare nisi lugentes Domini nostri passionem. Namque variae sunt causae jejunandi. Neque enim lugentes tantum jejunabant, sed etiam poenitentes atque ii, qui ad sollemne aliquod celebrandum accedebant, hoc jejunio se parantes, ne impuro et impio animo res sacras adirent. Cum vero illo potissimum argumento nisus Steitz suam defenderit sententiam, uberius de hac re disputandum est, quo magis appareat, quam infirmum sit praecipuum illud ejus argumentum.

Ac primum quidem in universum non nego, jejunando indicari tristitiam. Haud raro enim invenimus jejunatum esse ab iis, qui rebus adversis vel calamitatibus erant afflicti[1]. Velut — ut id unum afferam — Davides rex ejusque socii jejunaverunt, cum nuncium de Saulis et Jonathanis morte accepissent (II Sam. 1, 12). — Sed illa de rebus adversis tristitia minime sola erat jejunandi causa. Imprimis enim hoc moeroris signo ii quoque utebantur, qui de peccatis suis dolebant, h. e. poenitentes. Hac certe de causa jejunabatur ab Israelitis omnibus magno expiationum die, quo pontifex maximus pro populi peccatis sacrificia faciebat (Lev. 16.). Hac de causa jejunaverunt Israelitae, cum a Baale et ab Astarte, quibus servierant, ad Jehovam se converterent ab eo veniam et gratiam petentes (I Sam. 7, 3—6). Sic etiam Ahab, cum ei Elias

[1] Cf. Tertull. (de jejun. c. 7.): „semper inedia moeroris sequela est, sicut laetitia accessio saginae.“

ob Nabothem interfectum poenam atque perniciem minatus esset, jejunium suscepit a Deo veniam impetraturus (I Reg. 21, 27). — Cum autem jejunium — quod ex paucis his exemplis apparebit — poenitentiae sit signum et eventus, omnino jejunatum esse invenimus, cum quid factum est animo poenitenti et gratiae divinae cupido. Velut Daniel jejunavit, cum rogaret Jehovam, ut populo suo peccata remitteret erigeretque muros urbis sacrae dirutos (Dan. 9, 1 sqq.); item Cornelius centurio, cum, ut videtur[1], a Deo peteret, ut veram scientiam salutemque sibi tribueret (Act. 10, 4. 30.). — Denique jejunium omnino vim et dignitatem accepit actionis, qua Deus colitur ejusque gratia paratur; cujusmodi imprimis erant jejunia pharisaeorum, quorum multitudine ipsi gloriabantur, nec non Hannae illius prophetissae jejunia, quibus eam dies noctesque refertur Deum coluisse (Luc. 2, 37). Qua de causa etiam jejunia et precationes saepe conjunctas fuisse invenimus (Luc. 2, 37. Mt. 17, 21. Act. 13, 3. 14, 23.). — Jam vero non mirabimur, eos, qui res sacras adirent, antea jejunando et precando se parasse, ne indigni Deoque ingrati ad eas accederent. Velut apud Lucam prophetas et magistros ecclesiae Antiochenae jejunasse legimus, antequam Barnabam et Saulum manibus imponendis ad munus apostolicum consecrarent (Act. 13, 3). — Quid mirum igitur, ecclesias Asianas diem quartum decimum, antequam sacram coenam instituerent, jejunando egisse? Hoc enim die solo eas jejunasse, supra jam vidimus. Quod jejunium ut subirent eo facilius adduci poterant, cum et Judaei ante coenam paschalem aliquamdiu solerent jejunare. Legimus enim[2] M. Pesachim 10, 1: ערבי פסחים סמוך למנחה לא יאכל אדם עד שתחשך

---

[1] Cf. Meyer, *Apostelgesch.* ed. 3. (1861), p. 220 not.

[2] Notitiam hujus loci debeo doctissimo Winero, vid. RWB. II, 200 not. 1.

„diebus paschalibus prope mincham (= paulo ante mincham) nemo edat, donec tenebrae oboriantur“. Quae verba docent, ab eo tempore, quo mincha offerri solebat (h. e. ab hora decima ineunte), usque ad vesperum h. e. usque ad coenam paschalem Judaeos solitos esse jejunare; nempe quia indecorum videbatur a profana coena protinus ad sacram accedere, atque jejuni soli videbantur digni, qui hac fruerentur. Cui consuetudini quamquam non prorsus idem suberat consilium atque Asianorum jejunio — quamobrem Asianorum et Judaeorum jejunium plane idem fuisse contendi nequit —, tamen haec consuetudo Judaica ecclesias christianas facile potuit excitare, ut et ipsi similem instituerent. — Asianos autem suum jejunium eo suscepisse consilio, ut digni Deoque accepti sollemnia facerent, eo minus potest negari, cum etiam occidentalis ritus defensores hoc consilium jejunio inesse affirment. EUSEBIUS enim in libro saepius citato[1] dicit (c. 4), se suosque pascha celebrare, praeparationis causa jejunio quadraginta dierum antea assumpto (*προπαρασκευῆς ἕνεκα τὴν τεσσαρακονθήμερον ἄσκησιν παραλαμβάνοντες*); et ibidem (c. 11): *παρασκευὴ μὲν ἡμῖν ἔστω νηστεία, πένθους σύμβολον, τῶν προτέρων ἡμῖν χάριν ἁμαρτημάτων, καὶ μνήμης ἕνεκα τοῦ σωτηρίου πάθους.* Unde videmus, etiam Eusebium statuisse, jejunium suscipi non solum propter Domini nostri passionem, sed etiam praeparationis causa et propter peccata nostra. Quam eandem sententiam apud ATHANASIUM invenimus, qui in epistola paschali quinta haec habet[2]: „Pascha quidem esca caelestis erit pure festum agentibus; „impuris autem et aspernantibus periculum atque ignominia. „Scriptum est enim: qui manducat et bibit indigne, reus erit „mortis Domini nostri. Igitur ne simpliciter ad festalis

---

[1] De paschate, ed. MAI, Nov. patr. bibl. IV, 209 sqq.
[2] MAI, Nov. patr. bibl. VI, 1, 59. — LARSOW, *Festbriefe*, p. 85.

„ritus celebrationem veniamus; sed ut idonei simus „ad divinum agnum accedere et caelestes escas attingere, „manus nostras purificemus, corpus mundemus, et omni „fraude expertem conscientiam teneamus" etc. Et in epistola sexta[1]. „Quemadmodum Israel dum Hierosolymam versus „tenderet, antea semet in deserto mundabat erudiebatque, ut „Aegypti consuetudinem oblivisceretur, ita aequum est ut „in sancta quadragesima, quae a nobis suscepta est, pur- „gationem nostram et emundationem prosequamur; „ut hinc profecti et jejunii memores ad caenaculum cum Do- „mino possimus ascendere et cum eo caenare gaudiumque in „caelo participare. Secus enim neque Hierosolymam ascendere „neque pascha comedere nisi observata quadragesima nobis „liceret." Item in epistola undevicesima[2]: „Qui quadra- „gesimae observantiam aspernabitur, is pascha non „celebrabit, more ejus qui incaute impureque res „sanctas pedibus calcat. Quare invicem memores simus, „a negligentia caveamus, sed apprime his diebus jejunemus, „donec jejuniis continuatis sollemnitatis celebrationi feliciter „occurramus." — Diserte haec Athanasii verba docent, jeju-nium quadragesimale susceptum esse non solum propter passionis dominicae memoriam, sed etiam atque praecipue praeparationis causa, ut sollemnia celebrarentur animis sinceris nec gratia divina indignis. Cum autem apud occidentalis consuetudinis defensores hanc inveniamus sententiam, eo minus mirabimur, ecclesias orientales jejunando se parasse ad sollemnia recte facienda. Atque jam manifestum erit, quantopere idoneis careat argumentis, quod Steitz contendit, jejunium illud institui non potuisse nisi propter passionis dominicae memo-

[1] Mai l. l. p. 71. — Larsow l. l. p. 93 sq.
[2] Mai p. 144. — Larsow p. 149 sq.

riam. Quod minime verum esse, satis superque puto confirmari iis, quae modo exposui. Quare jam neminem spero negaturum esse, ex hoc quidem jejunio nequaquam colligi posse, Asianos Dominum statuisse die quarto decimo cruci esse affixum. — Ab ea autem quam nos proposuimus sententia non valde abhorret, quod HILGENFELD[1], LIPSIUS[2], LEEUWEN[3], WALLON[4] statuerunt, Asianos jejunando se parasse, ut digni ederent coenam dominicam. Sed verisimilius mihi videtur, Asianos jejunando se parasse non tam ad edendam coenam dominicam, quam omnino ad sollemnia celebranda. Etenim priscis ecclesiae temporibus usitatum fuisse, ad sacram coenam jejunando se parare, probari vix poterit.

4. Praeter praecipuum illud argumentum ad confirmandam Weitzelii et Steitzii sententiam etiam alia quaedam allata sunt illo nihilo firmiora. WEITZEL[5] enim, quem MAYER[6] et STEITZ[7] secuti sunt, putavit, Tricentium illum a Petro Alexandrino impugnatum[8], quamquam non ipso die quarto decimo pascha haberi voluisset, tamen a quartodecimanis esse profectum; itaque eum jure meritoque quartodecimanorum consuetudinis testem posse adhiberi. Atque cum ille quidem asseveraret, se nihil agere, nisi ut memoriam passionis Christi recoleret (Chron. pasch. I, 7: *πρόκειται γὰρ ἡμῖν οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν ἀνάμνησιν τοῦ πάθους αὐτοῦ ποιεῖσθαι*), apertum esse, mortis Christi memoriae quarto-

---

[1] *Galaterbr.*, p. 92 sq. — *Theol. Jahrbb.*, 1857, p. 529. — *Paschastreit*, p. 298—304. — *Zeitschr.*, 1867, p. 191, not. 1.

[2] *Literar. Centralbl.*, 1860, col. 514.

[3] De sacris paschal. p. 110.

[4] *Godgel. bijdr.*, 1861, p. 78.

[5] *Die christl. Passaf.*, p. 251—254. — *Stud. u. Krit.*, 1848, p. 822.

[6] *Die Aechth. d. Ev. nach Joh.*, p. 413.

[7] *Stud. u. Krit.*, 1856, p. 801 sq. — 1857, p. 748. — HERZOG, *RE.* XI, 159.

[8] Chron. pasch. ed. DIND. I, 4—9.

decimanorum celebrationem fuisse consecratam. Sed mirum est profecto, Weitzelium Tricentium illum adhibuisse quartodecimanae consuetudinis testem. Quicunque enim Petri Alexandrini fragmentum integrum legerit, Tricentium intelliget etiam multo magis abfuisse a die quarto decimo observando, quam ipsum Petrum Alexandrinum, qui cum occidentalibus stetit. Tricentius enim statuit, in constituendo die paschali Judaeorum moris et veteris testamenti praeceptorum omnino non habendam esse rationem, quoniam illi ab initio erraverint. Eo potius die sollemne paschale semper esse celebrandum, quo Dominus secundum eorum, qui rebus ipsis interfuerint, testimonium e vita sit egressus. Contra Petrus Alexandrinus monet, Judaeorum moris sane rationem esse habendam, cum hi, quamvis nunc errent, tamen usque ad urbis sacrae eversionem rectam conservaverint constituendi diei paschalis rationem. Videmus igitur, Tricentium etiam multo magis quam ipsos occidentales abhorruisse a paschate cum Judaeis faciendo. Quartodecimanis autem id ipsum, quod ille repudiavit, proprium erat. Etenim jam Polycrates[1] enixe asseverat, majores suos semper observasse eum diem, quo Judaei fermentum removissent (*πάντοτε τὴν ἡμέραν ἤγαγον οἱ συγγενεῖς μου, ὅταν ὁ λαὸς ἤρνυε τὴν ζύμην*). Et Eusebius[2] itemque Constantinus in epistola, qua synodi Nicaenae decreta promulgavit[3], dicunt, Asianos contendisse, in die paschali constituendo sequendum esse morem Judaeorum (*ἕπεσθαι δεῖν τῇ Ἰουδαίων συνηθείᾳ*). Ita etiam in litteris, quas synodus Nicaena ad Alexandriae ecclesiam

---

[1] Euseb. H. E. V, 24, 6.
[2] Vit. Const. III, 5, 1.
[3] Euseb. Vit. Const. III, 18, 2. — Socratis H. E. I, 9 (ed. Hussey, Oxon. 1853, t. I, p. 71). — Theodoreti H. E. I, 10 (ed. Gaisford, Oxon. 1854, p. 55).

dedit[1], orientis ecclesiae antea pascha fecisse dicuntur cum Judaeis (τοὺς ἐν τῇ ἑῴᾳ ἀδελφοὺς, τοὺς μετὰ τῶν Ἰουδαίων τὸ πρότερον ποιοῦντας). Denique Epiphanius[2] de Audianis diem quartum decimum observantibus haec refert: „Μετὰ γὰρ Ἰουδαίων βούλονται τὸ πάσχα ἐπιτελεῖν· τουτέστιν ᾧ καιρῷ οἱ Ἰουδαῖοι ποιοῦσι τὰ παρ᾽ αὐτοῖς ἄζυμα, τότε αὐτοὶ φιλονεικοῦσι τὸ πάσχα ἄγειν." Quartodecimanis igitur sanctissima erat consuetudo semper pascha celebranndi cum Judaeis. Id ipsum autem Tricentius quam vehementissime repudiavit. Atque cum Petrus Alexandrinus nusquam ne uno quidem verbo indicet, a quartodecimanis eum stetisse, sane vix quisquam illo minus erit idoneus, qui quartodecimanorum consuetudinis adhibeatur testis.

5. Neque plus valet argumentum, quod Steitz[3] ex Audianorum constitutionibus apostolicis attulit. Putat enim, cum illis praeceptum fuerit[4]: „ὅταν ἐκεῖνοι (scil. Judaei) εὐωχῶνται, ὑμεῖς νηστεύοντες ὑπὲρ αὐτῶν πενθεῖτε, ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς τὸν Χριστὸν ἐσταύρωσαν, καὶ ὅταν αὐτοὶ πενθῶσι τὰ ἄζυμα ἐσθίοντες ἐν πικρίσιν, ὑμεῖς εὐωχεῖσθε", sequi, quartodecimanos statuisse, die quarto decimo Christum a Judaeis cruci esse affixum. Nam τὴν ἡμέραν τῆς ἑορτῆς esse diem quartum decimum, quo Judaei pascha habuerint. Auctorem enim praecepti illius, quippe qui septem dies azymorum dies tristitiae habuerit, minime potuisse quintum decimum diem appellare ἡμέραν ἑορτῆς. Quare manifestum esse, putasse eum, Dominum mortuum esse die quarto decimo. — Quae quaesita sane et artificiosa argumentatio vix quemquam convincet. Etenim ἡ ἡμέρα τῆς ἑορτῆς certe

---

[1] Socrat., H. E. I, 9 (ed. Hussey, t. I, p. 62). — cf. etiam Athanasii verba apud Hilgenfeld, *Paschastr.*, p. 321 not.

[2] haer. 70, 9.

[3] *Jahrbb. f. deutsche Theol.*, 1861, p. 139.

[4] Epiphan. haer. 70, 11.

est primus dies azymorum, quintus decimus primi mensis[1], qui eximia celebritate erat insignis, cum diem quartum decimum, quo pascha habebatur, vix unquam invenias appellatum esse *ἑορτῆς ἡμέραν*. Hunc autem quintum decimum diem, quamvis celebritate insignem, tamen ab auctore illo inter dies tristitiae esse relatum, non ita nos offendet. Nam septem azymorum dies revera tristis cujusdam naturae non expertes fuisse, ex eo efficitur[2], quod Deut. 16, 3 azyma nominantur panis miseriae (לֶחֶם עֹנִי); sicut etiam Josephus[3] narrat, sollemnia azymorum celebrari in memoriam inopiae, qua populus pressus fuerit, cum ex Aegypto proficisceretur (*εἰς μνήμην τῆς τότε ἐνδείας*). Quare jam apparebit, illo constitutionum apostolicarum praecepto non Steitzii sed nostram probari sententiam.

6. Omnia haec, in quae adhuc inquisivimus, argumenta ad probandam Weitzelii et Steitzii sententiam prorsus nihil videmus valere. Quae autem restant nobis examinanda, quamvis vim aliquam habere videantur, tamen minime satis gravia sunt, quae nostram infringant sententiam. Sunt autem duo, alterum ex Epiphanio alterum e Theodoreto petitum. Epiphanius enim memorat duas quartodecimanorum partes, quarum altera quarto decimo quidem lunae die pascha celebraverit,

---

[1] Idem judicavit Hilgenfeld, *Paschastreit*, p. 384. — *Zeitschr.*, 1861, p. 310. — In didascalia apostolorum syriaca, a qua Audianorum constitutiones haud ita diversae fuisse videntur, diserte dicitur (ed. Lagarde, 1855, p. 89), Christum inter azymorum sollemnia crucifixum esse. Locum illum Merx ita vernacula lingua reddidit (apud Hilgenfeld, Nov. Test. extra can. recept., 1866, IV, 88): „*Und wiederum aber auch am Freitag sollt ihr für sie fasten, weil sie an ihm mich gekreuzigt haben während ihres Festes des Ungesäuerten, wie es in David* (Ps. 73, 4. 5) *zuvor gesagt ist: An ihren Festen haben sie gelegt ihre Zeichen und haben es nicht verstanden.*“

[2] cf. Hilgenfeld, *Paschastreit*, p. 131. 136. — *Zeitschr.*, 1861, p. 311.

[3] Antt. II, 15, 1.

altera autem ante diem VIII. calendas Apriles, quippe quo die Dominus mortem subierit[1]. Ex quo jam apertum esse dicunt Weitzel[2], Mayer[3], Steitz[4], quartodecimanos nihil nisi mortis Christi memoriam celebrasse; quod alteros quarto decimo lunae die, alteros a. d. VIII. cal. April. fecisse. — Sed quaecunque praeter Epiphanii habemus patrum testimonia diserte affirmant, quartodecimanis sanctissimam fuisse consuetudinem semper cum Judaeis h. e. quarto decimo lunae die pascha celebrandi. Quare mirum sane est, aliquam eorum partem hoc ipso, quod maxime iis proprium erat, omisso alio atque quarto decimo die pascha egisse. Quae cum ita sint, suspicatus est Hilgenfeld[5], Epiphanium confudisse illo loco duas partes diversas, quarum alteri cum altera nihil esset commune. Posteriorem enim illam Epiphanii partem esse homines eosdem, quorum unum cognovissemus Tricentium illum a Petro Alexandrino impugnatum. Qui cum a die quarto decimo observando magis etiam quam ipsi occidentales abfuissent, valde errasse Epiphanium eos inter quartodecimanos referentem. Quamobrem quae de iis traderet, minime adhibenda esse ad illustrandam quartodecimanorum sententiam. Hanc Hilgenfeldii sententiam quamquam mihi quidem haud

---

[1] haer. 50, 1: *Ἕτεροι δὲ ἐξ αὐτῶν τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν ἄγοντες καὶ τὴν αὐτὴν μίαν ἡμέραν νηστεύοντες καὶ τὰ μυστήρια ἐπιτελοῦντες, ἀπὸ τῶν Ἄκτων δῆθεν Πιλάτου αὐχοῦσι τὴν ἀκρίβειαν ηὑρηκέναι, ἐν οἷς ἐμφέρεται τῇ πρὸ ὀκτὼ καλανδῶν Ἀπριλλίων τὸν σωτῆρα πεπονθέναι· καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ βούλονται ἄγειν τὸ πάσχα ὁποίᾳ δ᾽ ἂν ἐμπέσῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης.*

[2] *Die christl. Passaf.*, p. 248—251. — *Stud. u. Krit.*, 1848, p. 823.

[3] *Die Aechth. d. Ev. n. Joh.*, p. 406 sq.

[4] *Stud. u. Krit.*, 1856, p. 802. — 1857, p. 750. — Herzog, *RE.* XI, 159.

[5] *Paschastreit*, p. 374—376. — Olim ipse Hilgenfeld Weitzelio assensus erat, vid. *Theol. Jahrbb.*, 1849, p. 262.

displicere profiteor[1], tamen rem in medio relinquam. Etiamsi enim revera Epiphanii aetate quartodecimani in memoriam passionis dominicae pascha celebrassent, inde minime efficeretur, jam Polycratis temporibus ecclesias Asianas ob eandem hanc causam quartum decimum diem observasse. Per duo enim saecula consuetudo illa variis modis poterat commutari. Hoc autem certum est — quod ex Eusebii de paschate libro satis apparet —, etiam Nicaenae synodi temporibus Asianos statuisse, Dominum more Judaico die quarto decimo pascha suum egisse. Itaque tum quidem Asiani diem quartum decimum observare non poterant, utpote quo Dominus esset cruci affixus. Ut igitur Epiphanii temporibus quartodecimani revera statuerint, Dominum die quarto decimo mortuum esse, usque ad Eusebii quidem tempora hoc certe non statuerunt.

7. Theodoretus denique de quartodecimanis haec refert[2]: *Ἡ δὲ τῶν Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν αἵρεσις ταύτην ὑπόθεσιν ἔχει. φασὶ τὸν εὐαγγελιστὴν Ἰωάννην, ἐν τῇ Ἀσίᾳ κηρύξαντα, διδάξαι αὐτοὺς ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ τῆς σελήνης ἐπιτελέσαι τοῦ πάσχα τὴν ἑορτήν· κακῶς δὲ τὴν ἀποστολικὴν νενοηκότες παράδοσιν, τὴν τῆς κυριακῆς ἀναστάσεως οὐκ ἀναμένουσιν ἡμέραν, ἀλλὰ ποτὲ μὲν τρίτῃ, ποτὲ δὲ πέμπτῃ, ποτὲ δὲ σαββάτῳ, ἢ ὅπως ἂν τύχῃ, πανηγυρίζουσι τοῦ πάθους τὴν μνήμην.* Quae verba sane, quod Weitzel[3] et Steitz[4] monuerunt neque Hilgenfeld negavit[5], nos docent, Theodoretum putasse, quartodecimanos die quarto decimo egisse mortis Christi memoriam. Verumtamen quid valet hoc testimonium auctoris medio saeculo

---

[1] De Epiphanii fide cf. quae Lipsius monuit: *Zur Quellenkr. d. Epiph.*, p. 1.

[2] haeret. fabul. compend. III, 4.

[3] *Die christl. Passaf.*, p. 252 not. — *Stud. u. Krit.*, 1848, p. 822.

[4] *Stud. u. Krit.*, 1856, p. 804. — 1857, p. 750. — Herzog, *RE.* XI, 159 sq.

[5] *Paschastreit*, p. 397.

quinto scribentis, quo tempore, id quod ipse profitetur[1], jam vix usquam inveniebantur quartodecimani? Profecto nihil fere valet. Cum enim vix ipse satis certam illorum habuerit scientiam, quomodo nos possumus ei de illis referenti temere fidem adjungere? Certe haec Theodoreti verba minime idonea sunt, quae nostram refellant sententiam, quippe quae Eusebio nitatur, teste illo utique multo locupletiore.

Atque jam omnibus his Weitzelii et Steitzii argumentis diligenter perpensis satis spero fore apertum, fontium quidem locis minime probari, quod illi statuerunt, Asianas ecclesias celebrasse diem quartum decimum, utpote quo Dominus mortis poenam luisset. Imo ex Eusebii de paschate libro manifestum esse vidimus, illas synopticorum evangeliorum chronologia usas contendisse, Dominum die quarto decimo edisse legitimum Judaeorum pascha. Quam prorsus eandem sententiam cum proposuerint quartodecimani illi ab Apolinario, Clemente, Hippolyto impugnati, jure meritoque perseverabimus in eo, quod statuimus, hos Apolinarii, Clementis, Hippolyti adversarios fuisse revera catholicos Asiae episcopos ecclesiasque.

---

Exploratis nunc omnibus quamvis exiguis fontibus repetamus breviter ac comprehendamus, quae de Asianorum ritu paschali reperimus. Qua de re hoc quidem certum est, eos quartum decimum primi mensis diem eumque solum diligenter observasse, primum quidem hoc die jejunantes, tum ad-

---

[1] haeret. fabul. compend. III, 6: *Μοντανιστῶν δὲ καὶ Ναυατιανῶν καὶ Τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν ἀπήλλακται μὲν ἡ ἑῴα παντάπασιν, ἀπήλλακται δὲ καὶ Αἴγυπτος καὶ Λυβύη, ἐλευθέρα δὲ τούτων καὶ ἡ ἑσπέρα. μόρια δὲ σμικρὰ τῆς Ἀσιανῆς καὶ τῆς Ποντικῆς τὰ τούτων ἔχοντα εἰσὶ ζιζάνια. οὔτε γὰρ ὁ Πολεμωνιακὸς Πόντος, οὔθ᾽ Ἑλενόποντος, οὔτε αἱ Ἀρμενίαι, οὔτε αἱ Καπαδοκίαι, οὐ Λυκαονία, οὐ Πισιδία, οὐ Παμφυλία, οὐ Λυκία, οὐ Καρία δὲ τάσδε τὰς αἱρέσεις ἐδέξαντο.*

ministrantes coenam sacram; quam celebrationem ipsi πάσχα nominabant. Ad defendendam autem hanc consuetudinem vidimus eos et veteris testamenti legem et Domini nostri exemplum protulisse. Cum vero quaeritur, qua de causa et quo consilio morem illum observaverint, fontes non eam quam desideramus lucem nobis praebent. Quare hanc fontium tenuitatem facere non possumus quin conjiciendo suppleamus. Atque cum certum sit, Asianos diem quartum decimum observasse neque quia hoc die Dominus mortuus sit — hanc enim sententiam refellunt fontes —, neque quia hoc die resurrexerit — hoc enim contendere omnino amentis esset —, et cum parum sit verisimile, eos hunc diem celebrasse, ut quo Dominus ultimam coenam suam habuerit — quomodo enim in hujus rei solius memoriam celebrationem instituere poterant omissis illis, quae multo majoris erant momenti? —, apertum esse puto, eos hunc diem omnino non celebrasse in memoriam ullius facti in evangeliis nobis relati; celebrasse potius, quia hujus diei observatio praescripta erat veteris testamenti lege; id quod imprimis Pseudo-Origenis et Epiphanii[1] verbis confirmatur. Neque tamen contenderim, die excepto eos ullo modo adhaesisse moribus Judaicis. Hoc enim si fecissent, certe Victor Polycrati objicere non omisisset. Atqui neque Eusebius neque Polycrates in epistola sua tale commemorant opprobrium. Quare Asiani pascha celebrasse mihi videntur Judaico quidem die, sed more christiano. Christianum autem pascha est Christus ipse, qui pro totius mundi peccatis immolatus est cujusque corpus et sanguis in coena dominica fidelibus praebentur edenda. Itaque Asiani pascha ea ratione celebrabant, ut die quarto decimo redemptionis per Christum nobis paratae recordati sacram novi foederis coenam paschalem admini-

---

[1] vid. p. 27 sq. et p. 32.

strarent. Vides igitur, omnino me non negare, imprimis mortis Christi eos hoc die esse recordatos. Ut enim in singulis quibusque coenae sacrae administrationibus memoria mortis Christi repetebatur, ita etiam hoc die illud factum esse libenter concedo. At hoc nego, Asianos hujus diei celebrationem instituisse, quia hoc die Dominus cruci esset affixus. Hanc enim sententiam fontes plane refellunt. — Quaerentibus autem, unde hujus diei celebratio originem duxerit et quanam re impulsi Asiani eam instituerint, ecclesiae christianae historiam puto responsum dare satis probabile. Haec enim nos docet, non ita raro factum esse, ut gentes ad sacra christiana conversae pristina sua sollemnia non plane relinquerent, sed potius ea mutarent atque in aliam quasi verterent naturam, ita ut tempore quidem celebrationis retento pristinam tamen abjicerent ejus naturam indolemque ei tribuerent christianam. Quo simili modo sollemnia Judaica cum christianis videntur esse mutata. Itaque Asiani tempus quidem antiqui paschatis retinebant, res autem Judaicas cum christianis mutantes pro agni paschalis immolatione Christi mortis memoriam recolebant atque pro Judaica coena paschali edebant sacram coenam christianam, corpus et sanguinem ipsius Christi. Nolebant enim pristinam consuetudinem suam plane relinquere; neque tamen poterant integrum retinere ipsum morem Judaicum. Quamobrem et illam erga patrium morem pietatem et christianae fidei integritatem ita servabant, ut in rerum Judaicarum locum eas substituerent christianas, quae illis responderent, vel potius quas inter atque illas eadem intercederet ratio, quae inter ipsam rem ejusque imaginem. Ut enim sacrificium paschale simulacrum erat immolationis Christi, ita coena paschalis simulacrum erat coenae dominicae. Atque hae res christianae eo facilius in Judaicarum illarum locum poterant substitui, cum eodem fere tempore Christus crucifixus atque sacra coena in-

stituta esset, quo veteris testamenti pascha immolatum est coenatumque. — Quo tempore autem consuetudo Judaica transierit in christianam, satis certe dijudicari non potest. Protulit quidem Polycrates inter suae consuetudinis auctores Joannem et Philippum apostolos. Cum autem nihil dicat, nisi eos quoque observasse quartum decimum primi mensis diem, non satis certum est, utrum illi hunc diem observaverint more Judaico an christiano. Atque sane cogitari potest, Joannem celebrasse, quoad omnino extra urbem sacram fieri potuit, pascha Judaicum. Quamquam mihi quidem probabilius videtur, jam Joannem apostolum diem quartum decimum eodem modo celebrasse quo Polycratem. Hic enim ne uno quidem verbo indicat, inter ipsius atque Joannis consuetudinem quidquam discriminis intercessisse. Quare a vero haud alienum erit, jam apostolorum aetate in ecclesiis Asiae christianis Judaicum morem transiisse in christianum. Utrum autem Joannes, cum in Asiam veniret, hanc consuetudinem ibi jam invenerit, an ipse instituerit, equidem haud decernam. — At hoc certe ex his omnibus apparet, in ecclesiis Asianis Judaeo-christianos non ita paucos neque infirmos fuisse. Etsi enim consuetudo illa cum Judaeorum paschate nihil nisi diem commune habebat, tamen e more Judaico prodierat neque omnino potuerat institui nisi ab iis, qui antea professi erant fidem Judaicam. Itaque statuendum erit, numerum eorum in ecclesiis Asianis fuisse haud ita exiguum; id quod optime convenit cum iis, quae de ecclesiae Ephesinae primordiis in actis apostolorum (c. 18, 18 sqq. 19, 1 sqq.) referuntur, ubi legimus, Ephesi non solum Graecos, sed etiam Judaeos se convertisse ad fidem christianam[1]. Paulus autem apostolus, quamvis nollet, christianos obstrictos se habere lege Judaica, tamen

---

[1] cf. Bleek, *Beiträge*, p. 161. — *Einleitung in d. N. T.*, p. 190.

certe non omnes mores Judaicos radicitus exstirpavit. Imo ipse — ut in actis quidem apostolorum narratur — sollemnia celebrabat Judaica. Minime igitur mirum est, in ecclesiis Asianis a Paulo apostolo collectis conditisque inveniri consuetudinem, quae profecta esse non potest, nisi a more Judaico.

Jam vero occidentalium quoque ecclesiarum ritum paschalem paucis exponamus; qui quamnam habuerit originem exiguitate fontium cogimur conjectare magis quam demonstrare. Nam ne de tempore quidem, quo institutus sit, satis certa habemus relata. Videtur quidem VICTOR episcopus contendisse, eam quam ipse sequeretur consuetudinem jam ab apostolis institutam esse. Cum enim Polycrates in epistola sua scripserit[1] „*καὶ γὰρ καὶ κατὰ τὴν Ἀσίαν μεγάλα στοιχεῖα κεκοίμηται κ. τ. λ.*“, colligere licebit, Victorem quidem ecclesiae Romanae sidera, Petrum et Paulum apostolos, consuetudinis suae auctores attulisse[2]. Sicut EUSEBIUS diserte dicit[3], eam quam ecclesiae occidentales observent consuetudinem ab ipsis apostolis

---

[1] Euseb. H. E. III, 31, 3. cf. V, 24, 2.

[2] Idem judicaverunt SCHWEGLER (*Nachapostol. Zeitalter*, II, 213), WEITZEL (*Christl. Passaf.*, p. 138), STEITZ (*Stud. u. Krit.*, 1856, p. 776 not. — 1857, p. 778 sq.), ABT (*La controv. pasc.*, p. 24 not.), LEEUWEN (De sacris paschal., p. 95), HILGENFELD (*Paschastreit*, p. 289 sq.). — Cum STEITZ Polycratis illa verba ex Euseb. V, 24, 2 hausisset, ubi pro „*καὶ γὰρ καί*“ scriptum est „*καὶ γάρ*“, monuit eum BAUR (*Theol. Jahrbb.*, 1857, p. 249 not. — *Zeitschr. f. wissensch. Theol.*, 1858, p. 311 sq.), ex his verbis non ea, quae Steitz voluisset, esse colligenda; nam „*καὶ γάρ*“ significare nihil nisi „etenim“. Sed tota haec inter Steitzium et Baurium controversia supervacanea erat. Nam e duabus illis quas Eusebius praebet lectionibus, V, 24, 2: *καὶ γάρ*; III, 31, 3: *καὶ γὰρ καί*, certe haec est probanda.

[3] H. E. V, 23, 1: *οὐκ ἔθους ὄντος τοῦτον ἐπιτελεῖν τὸν τρόπον ταῖς ἀνὰ τὴν λοιπὴν ἅπασαν οἰκουμένην ἐκκλησίαις, ἐξ ἀποστολικῆς παραδόσεως τὸ καὶ εἰς δεῦρο κρατῆσαν ἔθος φυλαττούσαις.* — V, 25: *περὶ τῆς κατελθούσης εἰς αὐτοὺς ἐκ διαδοχῆς τῶν ἀποστόλων περὶ τοῦ πάσχα παραδόσεως κ. τ. λ.*

esse profectam. Atque SOCRATES narrat[1], Romanos dixisse, se consuetudinem suam a Paulo et Petro apostolis accepisse. Similiaque habet SOZOMENUS[2]. Sed ut omnino iis, quae ab ecclesiae patribus de apostolorum aetate traduntur, non ita simpliciter fides est adjungenda, quoniam illi nimis studebant omnes ecclesiae mores institutionesque ad ipsorum apostolorum decreta referre, ita hanc quoque narrationem, cui SCHWEGLER[3] quidem et WEITZEL[4] fidem tribuunt, non satis certam neque omni fide dignam habendam esse recte mihi HILGENFELD[5] aliique videntur judicasse. Ceterum quocunque modo haec res se habet, sive jam apostolorum aetate sive postea demum consuetudo Romana exorta est, certe a vero haud aberrare mihi videor, cum statuero, occidentalem ritum illum post Asianum demum esse institutum atque occidentalis ritus auctores ad instituendum eum Asianorum demum consuetudine esse excitatos. Nam haec certe simplicior est artiusque se applicat ad morem Judaicum. Quare Romanam consuetudinem, quippe quae jam magis a more Judaico discederet, post illam demum exortam esse statuentes haud fallemur. — Sin autem consuetudo Romana ex Asiana profecta est, sequitur, summam quidem utriusque celebrationis ean-

---

[1] H. E. V, 22 (ed. HUSSEY, t. II, p. 629): *Τεσσαρεσκαιδεκατίται δέ φασιν, ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ ἀποστόλου τὴν παρατήρησιν τῆς τεσσαρεσκαιδεκάτης παραδεδόσθαι αὐτοῖς· οἱ δὲ κατὰ τὴν Ῥώμην καὶ τὰ ἑσπέρια μέρη τοὺς ἀποστόλους Παῦλον καὶ Πέτρον τὴν ἐκεῖ παραδεδωκέναι συνήθειαν λέγουσιν.* — Quibus Socrates caute adjecit: *Ἀλλ᾽ οὐδεὶς μὲν τούτων ἔγγραφον ἔχει παρασχεῖν τὴν περὶ τούτων ἀπόδειξιν.*

[2] H. E. VII, 19 (ed. HUSSEY, t. II, p. 741): *οἱ πρὸς δύσιν ἱερεῖς οὐκ ᾤοντο δεῖν Παύλου καὶ Πέτρου τὴν παράδοσιν ἀτιμάζειν.*

[3] *Montanismus*, p. 199. — *Nachapostol. Zeitalter*, II, 211.

[4] *Christl. Passafeier*, p. 136—139. 174—179.

[5] *Paschastreit*, p. 228 sq. — Etiam STEITZ (*Stud. u. Krit.*, 1856, p. 738) monuit contra Weitzelium, apostolicam consuetudinis Romanae originem argumentis historicis non satis certe probari.

dem fuisse[1]. Erat igitur etiam occidentalibus *τὸ πάσχα* celebratio, qua redemptionis per verum nostrum agnum paschalem paratae gratias agentes sacram novi foederis coenam administrabant. Atque hoc uno eorum celebratio ab Asiana differebat, quod eam non pristini paschatis die sed eo die agebant, quo omnino universa ecclesia memoriam Domini nostri repetere ejusque coenam celebrare solebat, i. e. die dominica. Itaque pascha suum non ipso quarto decimo die sed ea die dominica celebrabant, quae quartum decimum sequebatur. Hic enim Domini nostri resurrectionis dies neque ille Judaici paschatis dignus iis videbatur, quo novum pascha agerent christianum. — Quod si recte judicavimus, sequitur, hujus diei celebrationem initio non proprie nec praecipue institutam esse in memoriam resurrectionis Christi; sed, ut apud Asianos, in memoriam potius redemptionis ipsius. Quod etiam eo confirmatur, quod Eusebio auctore inter Asianas ceterasque ecclesias de eodem paschate certatum est, ab illis die quarto decimo celebrato, ab his autem die resurrectionis; quod profecto fieri non potuit, si proprium et praecipuum occidentalium celebrationis consilium fuisset resurrectionis Christi memoria. Hanc enim ab Asianis die quarto decimo non celebratam esse luce est clarius. Quare apparet, summam celebrationis occidentalibus non fuisse memoriam resurrectionis, sed potius pascha christianum eo, quem explicavi, sensu. Atque jam etiam intelligimus, quomodo fieri potuerit, ut occidentales sollemnia sua pascha nominarent. Si enim proprie memoriam resurrectionis Christi egissent, neutiquam explicari posset — neque quisquam adhuc explicavit —, qua de causa hanc celebrationem pascha appellavissent. Cum

[1] Hoc etiam Eusebii narratione probatur, quae de eodem paschate ab utrisque certatum esse evidenter nos docet.

autem illam omnino non proprie nec praecipue celebrarent, sed potius id quod ostendimus pascha, jam nomen rei fuisse vere consentaneum satis apparebit. — Posterioribus quidem temporibus resurrectionis memoria magis magisque obtinuit primum locum. Hoc autem ab initio certe non ita se habebat. Imo ex Eusebii de paschate libro satis superque liquet, ne ejus quidem temporibus resurrectionis memoriam summam celebrationis esse habitam [1].

Cum igitur de sollemnibus occidentalium breviter disputaverimus, etiam de jejuniis eorum pauca sunt exponenda. Atque ex Irenaei quidem verbis, quae apud Eusebium leguntur, videmus, ejus aetate magnam fuisse hujus consuetudinis varietatem. Dicit enim [2]: *Οὐδὲ γὰρ μόνον περὶ τῆς ἡμέρας ἐστὶν ἡ ἀμφισβήτησις, ἀλλὰ καὶ περὶ τοῦ εἴδους αὐτοῦ τῆς νηστείας. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν.* Quae verba docent, tum temporis nondum firmum neque ab omnibus receptum exstitisse jejunandi morem. Alii enim per unum, alii per duos, alii per plures etiam dies, alii denique per quadraginta horas solebant jejunare. E quibus illos quidem, qui per unum tantum diem jejunabant, Asianos fuisse jam supra conati sumus probare. Qui autem fuerint, qui ceteros jejunandi modos secuti sint, testibus certis deficientibus vix jam poterit explorari. Nisi forte e quibusdam Tertulliani verbis id nobis colligere licet, ejus aetate plurimas ecclesias per duos dies jejunandi morem observasse. Ait enim de catholicis aetatis suae ecclesiis (de jejun. c. 2): „Certe in evangelio illos dies jejuniis determinatos putant, in quibus

---

[1] Cf. quae initio hujus dissertationis de notione vocabuli pascha explicavi.

[2] Euseb. H. E. V, 24, 12.

ablatus est sponsus, et hos esse jam solos legitimos jejuniorum Christianorum"[1]. E quibus sane effici videtur, plurimas ecclesias ante pascha celebrandum iis tantum diebus jejunasse „in quibus ablatus est sponsus", h. e. diebus parasceves et sabbatis. Certe autem ex Irenaei verbis illis manifestum est, tum temporis non ita multos dies jejuniis fuisse dicatos. — Sed paulo post hoc jejunandi tempus magis magisque est dilatatum. Atque jam DIONYSII episcopi temporibus, medio saeculo tertio, Alexandriae per sex dies, licet non eodem modo ab omnibus, fuisse jejunatum haec ejus verba docent[2]: *μηδὲ τὰς ἓξ τῶν νηστειῶν ἡμέρας ἴσως μηδὲ ὁμοίως πάντες διαμένουσιν· ἀλλ' οἱ μὲν καὶ πάσας ὑπερτιθέασιν*[3] *ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας, οἱ δὲ οὐδεμίαν· καὶ τοῖς μὲν πάνυ διαπονηθεῖσιν ἐν ταῖς ὑπερθέσεσιν, εἶτα ἀποκάμνουσι καὶ μόνον οὐκ ἐκλείπουσι, συγγνώμη τῆς ταχυτέρας γεύσεως· εἰ δέ τινες οὐχ ὅπως οὐχ ὑπερτιθέμενοι, ἀλλὰ μηδὲ νηστεύσαντες ἢ καὶ τρυφήσαντες τὰς προαγούσας τέσσαρας, εἶτα ἐλθόντες ἐπὶ τὰς τελευταίας δύο καὶ μόνας ἡμέρας, αὐτὰς ὑπερτιθέντες, τήν τε παρασκευὴν καὶ τὸ σάββατον, μέγα τι καὶ λαμπρὸν ποιεῖν νομίζουσιν, ἂν μέχρι τῆς ἕω διαμείνωσιν, τούτους οὐκ οἶμαι τὴν ἴσην ἄθλησιν πεποιῆσθαι τοῖς τὰς πλείονας ἡμέρας προησκηκόσι.* E quibus hoc quoque apparet, non defuisse Alexandriae, qui a communi per sex dies jejunandi more discedentes etiamtum per duos tantum dies jejunia facerent. — EUSEBII vero aetate jejunia jam ad quadraginta dies vel potius ad sex hebdomadas dilatata fuisse, ex his ejus verbis apertum est[4]: *μετὰ τὸ πάσχα τὴν πεντεκοστὴν ἐν ἑβδομάσιν ἑπτὰ τελείαις ἑορτάζομεν, τὸν μὲν πρότερον αἰῶνα τῆς πρὸ τοῦ πάσχα τεσσα-*

---

[1] Vid. STEITZ, *Stud. u. Krit.* 1856, p. 750 sq.
[2] sqd. WEITZEL, *Passaf.* p. 212. — HILGENFELD, *Paschastr.* p. 342 Vi.
[3] *ὑπέρθεσις* est acrior quidam et austerior jejunandi modus.
[4] De pasch. c. 5. (MAI Nov. patr. bibl. IV, p. 212.)

*ρακονθημέρου συνασκήσεως ἐν ἓξ ἑβδομάσιν ἀνδρισάμενοι.* — Quod idem tum temporis Alexandriae quoque factum esse ATHANASII epistolae festales[1] docent, quarum fere omnium in fine commendantur quadraginta dierum jejunia; velut in fine epistolae secundae (quae scripta est anno p. Chr. n. 330), tertiae (a. 331), sextae (a. 334), septimae (a. 335), decimae (a. 338), etc. — Verumtamen non ab omnibus ecclesiis haec consuetudo tum recepta esse videtur. Etenim usque ad SOCRATIS tempora, h. e. usque ad quinti saeculi initium, multiplicem fuisse jejunandi consuetudinem, haec ejus verba demonstrant[2]: *Αὐτίκα τὰς πρὸ τοῦ πάσχα νηστείας ἄλλως παρ' ἄλλοις φυλλατομένας ἐστὶν εὑρεῖν· οἱ μὲν γὰρ ἐν Ῥώμῃ τρεῖς πρὸ τοῦ πάσχα ἑβδομάδας πλὴν σαββάτου καὶ κυριακῆς συνημμένας νηστεύουσιν. Οἱ δὲ ἐν Ἰλλυριοῖς καὶ ὅλῃ τῇ Ἑλλάδι καὶ οἱ ἐν Ἀλεξανδρείᾳ πρὸ ἑβδομάδων ἓξ τὴν πρὸ τοῦ πάσχα νηστείαν νηστεύουσι τεσσαρακοστὴν αὐτὴν ὀνομάζοντες. Ἄλλοι δὲ παρὰ τούτους ἄλλοι πρὸ ἑπτὰ τῆς ἑορτῆς ἑβδομάδων τῆς νηστείας ἀρχόμενοι καὶ τρεῖς μόνας πενθημέρους ἐκ διαλειμμάτων νηστεύοντες οὐδὲν ἧττον καὶ αὐτοὶ τεσσαρακοστὴν τὸν χρόνον τοῦτον καλοῦσι.* E quibus hoc imprimis dignum est quod notetur, Romae etiam quinto saeculo per tres tantum hebdomadas fuisse jejunatum; quod quin verum sit, non est cur dubitemus; cum Socrates non incertus nec fide indignus habendus sit rerum auctor[3]. — Eandem denique jejunandi varietatem testatur SOZOMENUS, cum haec nobis tradat[4]: *Καὶ τὴν πρὸ ταύτης δὲ* (scil. ante diem resurrectionis) *καλουμένην τεσσαρακοστήν, ἐν ᾗ νηστεύει τὸ πλῆθος, οἱ μὲν εἰς ἓξ ἑβδομάδας ἡμερῶν λογίζονται, ὡς Ἰλλυριοὶ καὶ οἱ πρὸς δύσιν, Λιβύη τε πᾶσα καὶ Αἴγυπτος σὺν τοῖς Παλαιστινοῖς· οἱ δὲ ἑπτά, ὡς ἐν Κωνσταντινουπόλει καὶ τοῖς πέριξ*

---

[1] MAI, Nov. patr. bibl. VI, 1.
[2] H. E. V, 22 (ed. HUSSEY, t. II, p. 630).
[3] Cf. HERZOG *RE.* XIV, p. 527 sq. — BAUR, *Epochen d. kirchl. Geschichtschrbg.* (1852), p. 27.
[4] H. E. VII, 19 (ed. HUSSEY, t. II, p. 743 sq.)

*ἔθνεσι μέχρι Φοινίκων· ἄλλοι δὲ τρεῖς σποράδην ἐν ταῖς ἓξ ἢ ἑπτὰ νηστεύουσιν· οἱ δὲ ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἑορτῆς συνάπτουσιν· οἱ δὲ δύο, ὡς οἱ τὰ Μοντανοῦ φρονοῦντες.* E quibus illos quidem, qui „*ἅμα τρεῖς πρὸ τῆς ἑορτῆς συνάπτουσιν*", Romanos esse, e Socrate cognovimus.

Sed jam egressi sumus eos quos dissertationi nostrae constituimus fines. Neque enim de antiquae omnino ecclesiae sed de secundi tantum saeculi ritibus paschalibus disserere nobis in animo erat. Redeamus igitur ad propositum atque quaeramus, quae tandem fuerit jejuniorum occidentalium causa et consilium. Qua de re mihi quidem persuasum est, occidentales jejunia sua non alio consilio instituisse atque Asianos. Cum enim sollemnia eorum, quod ad rem attinet, prorsus eadem fuerint atque Asianorum, a vero vix aberrabimus statuentes, etiam jejunia eorum eodem instituta esse consilio. Asianorum autem jejunia jam demonstravimus non instituta esse in memoriam dominicae passionis. Nam cum Dominum nostrum quinto decimo demum die mortuum esse statuerent, jejunia autem jam quarto decimo die solverent, luce est clarius, jejunia ab iis non observata esse in memoriam Domini nostri passionis. Quare judicavimus, eos jejunasse praeparationis causa, ut sincero pioque animo ad sollemnia facienda accederent. Atque idem hoc nunc statuerim de occidentalium jejuniis, id quod fontium quidem relatis si non aperte probatur at certe non refellitur. Imo favent huic sententiae nostrae, quae ex Eusebio et Athanasio supra attulimus[1]; e quibus patet, illorum quidem temporibus jejunia praecipue praeparationis causa esse observata. Et quamquam idem Eusebius docet, praeter hanc causam etiam in passionis dominicae memoriam jejunatum esse[2],

---

[1] p. 51 sq.

[2] De pasch. c. 11: *παρασκευὴ μὲν ἡμῖν ἔστω νηστεία, πένθους σύμβολον, τῶν προτέρων ἡμῖν χάριν ἁμαρτημάτων καὶ μνήμης ἕνεκα τοῦ σωτηρίου πάθους.*

tamen nihil nos impedit, quominus statuamus, id quod ipsarum rerum naturae consentaneum esse judicavimus, ab initio quidem haec jejunia praeparationis causa esse instituta[1]. Postea autem, idque jam satis antiquis temporibus, sane, id quod minime negamus, jejunia illa etiam ad Domini nostri passionem revocata sunt iisque hoc quoque tributum est consilium, ut per ea recordaremur Servatoris nostri passionis ejusque mortis salutaris. Hoc autem eo facilius fieri potuit, cum coena paschalis quotannis haberetur die resurrectionis. Jam enim ipsarum rerum natura paene postulabat, ut diebus antecedentibus, qui jejuniis dicati erant, memoria mortis Christi repeteretur. Itaque jam Tertulliani temporibus per eos duos

---

[1] Aliam et miram profecto jejunandi causam indicant constitutiones apostolorum, in quibus haec leguntur (vid. Hilgenf. Nov. test. extra canon. recept. IV, 88): *παρήγγειλεν οὖν ἡμῖν αὐτὸς νηστεύειν τὰς ἓξ ἡμέρας ταύτας διὰ τὴν τῶν Ἰουδαίων δυσσέβειαν καὶ παρανομίαν, πενθεῖν αὐτοὺς καὶ ὀδύρεσθαι παρακελευσάμενος ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ αὐτῶν.* — Quae eadem in didascalia apostolorum syriaca ita leguntur (a Merxio in nostrum sermonem translata, apud Hilgenf. l. l.): „*Er sprach aber zu uns, indem er uns lehrte: Nicht um meinetwillen fastet ihr diese Tage (oder bedarf ich, dass ihr eure Seele demüthigt?), sondern wegen eurer Brüder habt ihr dieses gethan und pflegt dies zu thun in diesen Tagen, in welchen ihr fastet.*“ — — „*Darum wisset, meine Brüder, dass ihr unser Fasten, welches wir am Pascha fasten, deshalb fastet, weil unsere Brüder nicht gehorcht haben*“ etc. — cf. etiam quae Epiphanius (haer. 70, 11) e constitutionibus apostolicis Audianorum affert: *ὅταν ἐκεῖνοι* (scil. Judaei) *εὐωχῶνται, ὑμεῖς νηστεύοντες ὑπὲρ αὐτῶν πενθεῖτε, ὅτι ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς τὸν Χριστὸν ἐσταύρωσαν.* — Videmus igitur, jejunandi causam a multis eam esse habitam, quod Judaei salutari evangelii doctrinae non credidissent, sed Dominum vitae cruci affixissent; itaque jejunia fieri propter eorum exitium. Sed vix quisquam crediderit, hanc ob causam revera ab initio jejunia esse instituta. Quamvis enim evangelium nos doceat, inimicos esse amandos, tamen parum probabile est, christianos antequam sollemnia sua facerent jejunia observasse atque luxisse propter inimicorum suorum exitium. At hoc certe e verbis illis apparet, jejunia paschalia ab initio minime instituta esse in memoriam dominicae passionis.

dies jejunabatur, per quos olim Dominus noster in sepulcro quieverat; posteaque Dionysii Alexandrini temporibus tota hebdomas memoriae passionis Christi consecrata est. Atque hinc etiam factum est, ut duo illi vel sex dies, qui resurrectionis diem antecedebant, dies paschatis nominarentur; id quod apud Athanasium et Epiphanium invenimus[1]. Cum enim hi dies memoriae immolationis Christi, veri nostri agni paschalis, consecrati essent, haud incommode sane appellati sunt dies paschales. Inter quos imprimis unus, parasceves dies, excellebat, quippe quo Dominus noster mortem subiisset; quare Tertullianus de uno tantum die paschali loquitur (de orat. c. 18: die paschae, quo communis et quasi publica jejunii religio est). Videmus igitur, non solum resurrectionis diem, ut quo coena paschalis celebraretur, sed etiam dies antecedentes, ut qui memoriae passionis Christi dicati essent, appellatos esse dies paschales. Illa autem, quae nunc ab omnibus fere recepta sunt, nomina, *πάσχα σταυρώσιμον* et *πάσχα ἀναστάσιμον*, veteribus ecclesiae scriptoribus prorsus ignota sunt; ac videntur mihi recentioribus demum temporibus a viris doctis esse inventa.

---

Investigata jam, quoad per fontium exiguitatem licebat, utriusque et orientalis et occidentalis consuetudinis causa et natura adumbremus breviter etiam controversiarum, quae inter utriusque defensores exortae sunt, historiam. Atque primum quidem de utroque ritu disputatum est, cum Polycarpus Smyrnensis Aniceti visendi causa Romam venisset[2]. Hi autem, quamquam neuter ab altero commotus est, ut a consuetudine sua desisteret, tamen amicitiae vincula discindere noluerunt; sed

---

[1] Vid. supra p. 8 sq.
[2] Euseb. H. E. V, 24, 16 sq.

servata tum quidem ecclesiae pace alter ab altero discessit. At paulo post, cum, ut videtur, consuetudo Romana etiam in nonnullis Asiae ecclesiis recepta esset, anno fere p. Chr. n. 170 Laodiceae inter utriusque moris defensores certatio exorta est, qua commotus est MELITO Sardensis, ut librum de paschate conscriberet[1], Asianorum consuetudinem certe commendans. Contra quem APOLINARIUS, episcopus Hierapolitanus, suum de paschate librum scripsisse videtur, quo defenderet morem Romanorum; sicut etiam CLEMENS ALEXANDRINUS Melitonis libro excitatus[2] ad tuendum occidentalium ritum de paschate librum composuit. Interea autem consuetudo Asiana Romam videtur irrepsisse. Nam BLASTUS ille, qui inter a. 180 et 190 p. Chr. n. Romae versabatur[3], absque dubio Asianam consuetudinem defendit[4]. Atque haec Asianae consuetudinis in ipsam Romae ecclesiam translatio videtur causa fuisse magnae illius inter Romam atque Asiam contentionis[5]. Jam enim VICTOR episcopus Romanus ab Asianis, quibus POLYCRATES episcopus Ephesinus praeerat,

---

[1] Euseb. H. E. IV, 26, 3.

[2] Euseb. H. E. IV, 26, 4.

[3] Vid. WEITZEL, *Passaf.* p. 86.

[4] PSEUDO-TERTULLIANUS haec quidem de eo refert, adv. haer. c. 22 (OEHLER, Corpus haereseolog. I, 278): „Est praeterea his omnibus etiam Blastus accedens, qui latenter Judaismum vult introducere. Pascha enim dicit non aliter custodiendum esse, nisi secundum legem Moysi XIV. mensis. Quis autem nesciat quoniam evangelica gratia evacuatur, si ad legem Christum redigit?“ Sed haec Pseudo-Tertulliani verba minime probant, Blastum obstrictum fuisse erroribus Judaicis. Imo ubi recordabimur, Romanae consuetudinis defensores omnino Asianis Judaica studia crimini dedisse — sicut Eusebius aperte dicit (Vit. Const. III, 5, 1), Asianos contendisse, „ἕπεσθαι δεῖν τῇ Ἰουδαίων συνηθείᾳ“ —, vix aliud statuemus, nisi Blasti illius Judaismum non diversum fuisse a Judaismo universae ecclesiae Asianae; quod idem judicaverunt LEEUWEN (de sacr. pasch. p. 69 — 81), HILGENFELD (*Paschastr.* p. 283—285), WALLON (*Godgel. bijdr.* 1861, p. 73). Cf. etiam LIPSIUS, *Zur Quellenkritik d. Epiphanios*, p. 12 sq.

[5] De qua vid. Euseb. H. E. V, 23—25.

poposcit, ut consuetudinem suam relinquentes ceterarum ecclesiarum ritum reciperent. Quod cum Asiani recusarent, Victor eos ab ecclesiarum communione exclusit, Irenaeo hanc ejus superbiam graviter vituperante. Asianos vero Romae ἑτεροδόξους declaratos HIPPOLYTUS et PSEUDO-ORIGENES impugnaverunt in libris suis adversus haereticos scriptis. Licet autem Asianorum consuetudo tam vehementer impugnaretur, tamen ab ea non recesserunt, donec synodus Nicaena eam derelinquendam esse decrevit[1]. Atque ne hoc quidem synodi Nicaenae decretum omnes Asiae ecclesias commovit, ut a consuetudine sua desisterent. Imo Theodoreti temporibus, quinto p. Chr. n. saeculo, invenimus quasdam etiam exstitisse quartodecimanorum reliquias; quamquam tum temporis Theodoreto teste jam paene exstincti erant[2]; atque paulo post consuetudo eorum plane videtur evanuisse.

---

Extremum nunc restat, ut breviter etiam exponamus, quaenam intercedat ratio inter nostram de controversia paschali quaestionem atque quaestionem de Joannei evangelii authentia. Qua de re initio hujus dissertationis demonstratum est omnino quatuor adhuc propositas esse sententias. Quarum eam quidem, quam quarto loco retuli, WEITZELII dico et STEITZII et aliorum, fontium locis minime probari, tota quaestione mea demonstrasse mihi videor. — Atque ne ei quidem, quam secundo loco memoravi, adstipulari possum. Nam mihi quidem est persuasissimum, eam quae de tempore mortis Christi est inter synoptica evangelia atque Joannem differentiam nulla arte exegetica tolli

---

[1] Euseb. Vit. Const. III, 18, 1. — De pasch. c. 8 (MAI, Nov. patr. bibl. IV, 214).

[2] Haer. fab. comp. III, 6.

posse. Joannes enim eadem perspicuitate refert, Christum cruci affixum esse die quarto decimo, qua synoptica evangelia referunt, hoc factum esse die decimo quinto. Qua de re cum hoc loco non amplius disputari possit, sententiae meae testem et auctorem ex omnibus unum Bleekium afferam, qui hanc differentiam nullo modo solvi posse evidenter mihi videtur demonstrasse[1]. — Sed ea quoque sententia, quam primo loco exposui, Baurii, Hilgenfeldii, aliorum, minime recta esse mihi videtur. Persuasum enim habeo, controversiae paschalis historia Joannei evangelii authentiam nequaquam infringi. Sane enim, si Asiani sollemne suum paschale in memoriam ultimae Jesu Christi coenae instituissent, grave hoc argumentum esset, quo quartum evangelium non a Joanne apostolo profectum esse probaretur. Rem autem non ita se habere, e commentatione nostra apparebit. Nusquam enim refertur, Asianorum sollemnia in memoriam ultimae Jesu Christi coenae esse instituta. Demonstravimus potius, probabile esse, Asianos pascha suum christianum illo die celebrasse, quoniam hujus diei observatio praescripta erat veteris testamenti lege; neque omnino hanc celebrationem instituentes rationem eos habuisse chronologiae evangelicae. Hanc igitur celebrationem Joannes apostolus observabat; cui consuetudini apertum est minime repugnare, quod in evangelio suo refert, Christum quarto decimo die mortem subiisse. Polycarpus enim et Polycrates nihil referunt, nisi Joannem apostolum observasse hunc diem quartum decimum. Ideo autem hunc diem eum observasse, quia eodem Dominus noster ultimam coenam habuerit, nusquam refertur. Postea sane, Apolinarii et Polycratis temporibus, cum jam inter utriusque consuetudinis defensores contentio exorta esset, Asiani ad defen-

---

[1] *Beiträge zur Ev.-Krit.* p. 33—37. 107—134.

dendam consuetudinem suam Domini nostri exemplum proferebant, qui ipse illo die pascha suum celebraverit; quare sibi quoque idem esse faciendum. Sed tum omnino omnia conquisita sunt argumenta, quibus suam quisque consuetudinem tueretur. Itaque nos non offendet, Asianos e synopticis evangeliis id argumentum repetiisse, quod ad suam consuetudinem muniendam viderent idoneum. Joannem autem apostolum diem illum observasse, utpote quo Dominus coenam suam celebraverit, historicis quidem argumentis neutiquam potest probari. Quamobrem nostro jure judicabimus, ex Asianorum consuetudine paschali prorsus nihil colligi posse contra evangelii Joannei authentiam. — Atque iis igitur assentiendum esse puto, quorum sententiam memoravi loco tertio. Neque tamen plane mea cum illorum sententia convenit. Nam plurimi eorum, e quibus imprimis Bleekium nomino, censuerunt, Asianos pascha celebrasse, quoad omnino fieri potuit, more Judaico. Contra equidem existimo, in die quidem observando respexisse eos veteris testamenti legem; ipsam autem eorum celebrationem naturam habuisse mere christianam.

---

# Theses.

I.

Quae leguntur Rom. 16, 1—20 data sunt ad ecclesiam Ephesinam.

II.

Epistola quae dicitur „ad Ephesios“ eadem est cum illa a Paulo Col. 4, 16 memorata.

III.

Epistola quae dicitur „ad Ebraeos“ data est ad ecclesiam Romanam.

IV.

Loco I Petr. 3, 19 doctrina de Christi ad inferos descensu non inest.

V.

Petrum apostolum unquam Romam venisse certis argumentis comprobari non potest.

VI.

Ethices christianae principia rerum adiaphorarum quae dicuntur notionem non admittunt.

---